

potes, defectionem militum tuorum expertus? Et Syphax & Massinissa se, quàm Carthaginenses, malūt potentes in Africa esse: Carthaginenses, quàm quenquā alium. Nūc illos æmulatio inter sese, & omnes causæ certaminum acuunt, quòd metus externus procul est. Ostende illis Romana arma, & exercitum alienigenā: iam velut ad cōiure restinguendū incendium concurrent. Aliter idem illi Carthaginieses Hispaniā defenderunt: aliter mœnia patriæ, tēpla deūm, aras & focos defendent, quum euntes in prælium pauida prosequetur coniunx, & parui liberi occurrabunt. Quid porro si satis confisi Carthaginenses cōsensu Africæ, fide sociorum regum, mœnibus suis, quū tuo exercitūsq; tui præsidio, nudatam Italiā viderint, vltro ipsi nouum exercitū in Italiam aut ex Africa miserint, aut Magonem, quem à Balearibus classe transmissa iam præter oram Ligurum Alpinorum vectari constat, Annibali se coniungere iusserint? Nempe in eodem terrore erimus in quo nuper fuimus quū Asdrubal in Italiā transcendit: quem tu, qui non solum Carthaginem, sed omnē Africam exercitu tuo es clausurus, è manibus tuis in Italiam emisisti. Victum à te dices? Eo quidem minus vellem, & id tua, non reip. solum causa, iter datum victo in Italiam esse. Patere nos omnia quę prospera tibi & populi Rom. imperio euenerent, tuo consilio assignare: aduersa casibus incertis belli & fortunæ allegare. quo melior & fortior es, eo magis talē præsidem sibi patria atque vniuersa Italia retinet. Non potes ne ipse quidem dissimulare, vbi Annibal sit, ibi caput atque arcem huius belli esse, quippe qui præ te feras eam tibi causam esse traiciendi in Africam, vt Annibalem eò trahas. Siue igitur hīc siue illic, cum Annibale est tibi futura res. Vtrū ergo tandem firmior eris in Africa solus, an hīc, tuo collegæque tui exercitu coniuncto? Ne Claudius quidem & Liuius consules, tam recenti exemplo, quantum id intersit, documento sunt? Quid? Annibalem vtrum tandem extremus angulus Bruttii agri frustra iam diu poscentem ab domo auxilia, an propinqua Carthago, & tota socia Africa potentior armis virisque faciet? Quod istud consilium est, ibi malle decernere vbi tuæ dimidio minores copię sint, hostium multo maiores, quàm vbi duobus exercitibus aduersus vnum tot præliis & tam diuturna & graui militia fessum, pugnandū sit? Quàm compar consilium tuum parentis tui consilio sit, reputa. Ille consul profectus in Hispaniam, vt Annibali ab Alpibus descendenti occurreret, in Italiam ex prouincia rediit: tu; quum Annibal in Italia sit, relinquere Italiam paras, non quia reipub. id vtile, sed quia tibi amplum & gloriosum censēs esse: sicut quum prouincia & exercitu relicto, sine lege, sine senatusconsulto, duabus nauibus populi Rom. imperator fortunam publicam & maiestatem imperii, quæ tum in tuo capite periclitabantur, commisisti. Ego P. Cornelium, P. C. reip. nobisque, non sibi ipsi priuatim creatum consulem existimo, exercitūque ad custodiam vrbis atque Italiæ scriptos esse, non quos regio more per superbiam consules quò terrarum velint, traiciant.

ORATIO P. CORNELII SCIPIONIS

orationi præcedenti Q. Fabii respondens.

Q Vintus Fabius principio orationis P. C. commemorauit in sententia sua posse obrectationem suspectam esse: cuius ego rei non tam ipse ausim tantum virum insimulare, quàm quæ ea suspicio (vitio orationis, an rei) haud satis purgata est. Sic enim honores suos & famam rerum gestarum extulit verbis ad extinguendum inuidiæ crimen, tanquam mihi ab infimo quoque periculum sit, ne mecum æmuletur: & non ab eo, qui quia super cæteros excellat, quo me quoque niti nō dissimulo, me sibi æquari nolit. Sic senē se perfunctū honoribus, & me infra ætatē filii sui posuit, tanquam nō longius quàm quantum vitæ humanæ spatium est, cupiditas gloriæ extendatur, maximaque pars eius in memoriam ac posteritatem promineat. Maximo cuique id accidere certum animo habeo, vt se non cum præsentibus modò, sed cum omnis æui claris viris comparet. Equidem haud dissimulo, me tuas Q. Fabi laudes non assequi solum velle, sed (bona venia tua dixerim) si possim, etiam exuperare. Illud nec tibi in me, nec mihi in minores natu animi sit, vt nolimus quenquam nostri similem euadere ciuem. Id enim non eorum modò quibus inuidimus, sed reip. & genē omnis generis humani detrimentū sit. Cōmemorauit quantum essem periculi aditurus, si in Africam traicerem, vt meam quoque, non solum reipub. & exercitus vicem videretur valde sollicitus. Vnde hæc repente de me cura exorta? Quū pater

patruusque meus interfecti, quum duo exercitus eorum propè occidione occisi essent, quum amissa Hispania, quum quatuor exercitus Pœnorum quatuorque duces omnia metu armisque tenerent: quum quæsitus ad id bellum imperator, nemo se ostenderet præter me, nemo profiteri nomen ausus esset, quum mihi quatuor & viginti annos nato detulisset imperium populus Rom. quid ita tunc nemo ætatem meam, vim hostium, difficultatem belli, patris patruusque recentem cladem commemorabat? Vtrum maior aliqua nunc in Africa calamitas accepta est quam tunc in Hispania erat? an maiores nunc sunt exercitus in Africa, duces plures melioresque quam tunc in Hispania fuerunt? an ætas mea tunc maturior bello gerendo fuit quam nunc est? an cum Carthaginensi hoste in Hispania quam in Africa, bellum gerere aptius est? Facile est post fusos fugatosque quatuor exercitus Punicos, post tot vrbes vi captas, aut metu subactas in ditionem, post perdomita omnia usque ad Oceanum, tot regulos, tot sævas gentes, post receptam totam Hispaniam, ita ut vestigium nullum belli reliquum sit, eleuare meas res gestas, tam hercule quam si victor ex Africa redierim, ea ipsa eleuare, quæ nunc retinendi mei causa, ut terribilia eadem videantur, verbis extolluntur. Negat aditum esse in Africam, negat vlllos patere portus, M. Attilium captum in Africa commemorat, tanquam M. Attilius primo accessu ad Africam offenderit: neque recordatur illi ipsi tam infelici imperatori patuisse tamen portus Africæ, & res egregias primo anno gessisse, & quantum ad Carthaginenses duces attinet, inuictum ad vltimum permansisse. Nihil igitur me isto exemplo terrueris, si hoc bello, non priore: si nuper, & non annis ante quadraginta ista clades accepta foret, quin ego minus in Africam Regulo capto, quam Scipionibus occisis, in Hispaniam traicerem. Nec feliciter Xanthippum Lacedæmonium Carthagini, quam me patriam meam finire natum esse: cresceretque mihi ex eo ipso fiducia, quod possit in hominis vnus virtute tantum momenti esse. At etiam Athenienses audiendi sunt, temere in Sicilia omisso domi bello transgressi. Cur ergo (quonia Græcas fabulas narrare vacat) non Agathoclem potius Syracusanum regem, quam diu Sicilia Punico bello vreretur, transgressum in hanc eandem Africam, auertisse eò bellum unde venerat, refers? Sed quid, vltro metum inferre hosti, & ab se remoto periculo, alium in discrimen adducere, quale sit, veteribus externisque exemplis admonere opus est? Maius presentiumve vllum exemplum esse quam Annibal potest? Multum interest, alienos populere fines, an tuos vri excindique videas. Plus animi est inferenti periculum quam propulsanti. ad hoc, maior ignotarum rerum est terror: bona malaque hostium ex propinquo ingressus fines aspicias. Non sperauerat Annibal fore ut tot in Italia populi ad se deficerent quot defecerunt post Cannensem cladem: quanto minus quicquam in Africa Carthaginensibus firmum ac stabile est, infidis sociis, grauibus ac superbis dominis? Ad hæc, nos etiam deserti ab sociis, viribus nostris, Romano milite stetimus: Carthagine nihil ciuilibus roboris est: mercedem paratos milites habent, Afros Numidasque, leuissima fidei mutanda ingenia. Hic modò nihil moræ sit, vnà & traicisse me audietis, & ardere bello Africam, & molientem hinc Annibalem, & obsideri Carthaginem. Latiores & frequentiores ex Africa expectate nuntios quam ex Hispania accipiebatis. Has mihi spes subiicit fortuna populi Romani, dii fœderis ab hoste violati testes, Syphax & Massinissa reges, quorum ego fidei ita innitar ut bene tutus à perfidia sim. Multa quæ nunc ex interuallo non apparent, bellum aperiet: & id est viri & ducis, non deesse fortunæ præbenti se, & oblata casu, flectere ad consilium. Habebo, Quinte Fabi, parem quidem Annibalem: sed illum potius ego traham quam ille me retineat. In sua terra cogam pugnare eum, & Carthago potius præmium victoria erit quam semirutæ Brutiorum castella. Nequid interim dum traicio, dum expono exercitum in Africam, dum castra ad Carthaginem promoueo, Respublica hinc detrimenti capiat, quod tu Q. Fabi, quum victor tota Italia volitaret Annibal, potuisti præstare, hoc vide ne contumeliosum sit, concusso iam & penè fracto Annibale, negare posse P. Licinium consulem virum fortissimum præstare, qui, ne à sacris absit pontifex maximus, ideo in sortem tam longinquæ prouinciæ non venit. Si hercule nihilo maturius hoc quo ego censeo modo perficeretur bellum, tamen ad dignitatem populi Rom. famamque apud reges gentesque externas pertinebat, non ad defendendam modò Italiam, sed ad inferenda etiam Africæ arma, videri nobis animum esse: non hoc credi vulgarique, quod Annibal ausus sit, neminem ducem Rom. audere: & priore Punico bello, tum quæ de Sicilia certaretur, toties Africam nostris exercitibus & classibus oppugnatam: nunc autem quum de Italia certatur, Africam pacatam esse. Requiescat aliquando vexata tandiu Italia: vratur euaste-

túrque inuicem Africa. Castra Romana potius Carthaginis portis immincant, quàm nos iterum vallum hostium ex mœnibus nostris videamus. Africa sit reliqui belli sedes : illuc terror, fugáque, populatio agrorum, defectio sociorum, cæteræ belli clades, quæ in nos per **XIIII** annos ingruerunt, vertantur. Quæ ad remp. pertinent, & bellum quod instat, & prouincias de quibus agitur, dixisse satis est. Illa longa oratio nec ad vos pertinens sit; si, quæ admodum **Q. Fabius** meas res gestas in Hispania eleuauit, sic & ego contra gloriam eius eludere, & meam verbis extollere velim. Neutrum faciam **P.C.** &, si nulla alia re, modestia certè, & temperamento linguæ, adolescens senem vicerò. ita & vixi & res gessi, vt tacitus ea opinione quam vestra sponte conceptam animis haberetis, facillè contentus essem.

Ex vicefimonono libro ab vrbe condita.

ORATIO LOCRENSIVM IN SENATV:

ARGVMENTVM.

Q. Pleminius legatus erat, quem **P. Scipio** Messaniam traiciens militibus ad præsidium Locrorum præfecerat. is statim, atque milites, nulla seruata disciplina militari, nullo more maiorum, voluptates modò voluptatumque illectamenta consecrari cœperunt, ita vt iam nullum adeo fœdum atque infandum facinus reperiri posset quod non auderent. Vt virgines, coniuges, adolescentes, inuitis etiam parentibus ad fœdam libidinem explendam raptos præteream, non templis deùm abstinebant. Thesauri erant **Proserpinæ**, ad eam diem, nisi à **Pyrrho**, (qui violatæ religionis pœnas acerrimas dederat) intacti: eos diriperunt, totumque fanam spoliarunt. **Locrèses** itaq; quò se à Romanis plura pati videret quàm à Carthaginiensibus vnquã voluissent, mittunt Romam legatos decem, qui in senatù introducti ita iniurias exposuerunt,

SCio quanti æstimentur nostræ apud vos querelæ, **P.C.** plurimum in eo momenti esse; si probè sciatis & quomodo proditi **Locri** **Annibali** sint, & quomodo pulso **Annibali** præsidio, restituti in vestram ditionem. Quippe si & culpa defectionis procul à publico consilio absit, & reditum in vestram ditionem appareat non voluntate solum, sed ope etiam ac virtute nostra, magis indignemini, bonis ac fidelibus sociis tam atroces atque indignas iniurias ab legato vestro militibusque fieri. Sed ego causam vtriusque defectionis nostræ in aliud tempus differendam arbitror esse, duarum rerum gratia: vnus, vt coram **Pub. Scipione**, qui **Locros** recepit, quique omnium nobis rectè perperamque factorum est testis, agatur: alterius, quòd qualescunque sumus, tamen hæc quæ passi sumus, pati non debuimus. Non possumus dissimulare **P.C.** nos, quum præsidium **Punicum** in arce nostra haberemus, multa fœda & indigna à præfecto præsidii **Amilcare** & ab **Numidis** **Afrisque** passos esse: sed quid illa sunt, collata cū iis quæ hodie patimur? Cum bona venia, quæso, audiatis **P.C.** quod inuitus eloquar. In discrimine est nunc humanum omne genus, vtrū vos an **Carthaginienses**, principes orbis terrarum videat. Sed si ex iis quæ **Locrèses** aut ab illis passi sumus, aut à vestro præsidio nunc quammaximè patimur, æstimandum Romanum ac **Punicum** imperium sit, nemo non illos sibi quàm vos, dominos præoptet. Et tamen videte quemadmodum **Locrenses** in vos animati sint: quum à **Carthaginiensibus** iniurias multo minores acciperemus, ad vestrum imperatorem confugimus: quum à vestro præsidio plusquam hostilia patiamur, nusquam aliò quàm ad vos querelas detulimus. Aut vos respicietis perditas res nostras, **P.C.** aut ne ab diis quidem immortalibus quod precemur quicquam superest. **Q. Pleminius** legatus missus est cum præsidio ad recipiendos à **Carthaginiensibus** **Locros**, & cum eodem ibi relictus est præsidio. In hoc legato vestro (dát enim animum ad loquendum liberè vltimæ miseræ) nec hominis quicquam est, **P.C.** præter figuram & speciem: neque **Romani** ciuis, præter habitum vestitumque, & sonum **Latinæ** linguæ. pestis, ac bellua immanis, qualem fretum quondam quo ab **Sicilia** diuidimur, ad perniciem nauigantium circumfedissee fabulæ ferunt. Ac si scelus libidinemque & avaritiam solus ipse exercere in socios vestros satis haberet, vnã profundam quidem voraginem tamen patientia nostra expleremus: nunc omnes centuriones militesque vestros (adeò in promiscuo licentiam atque improbitatem esse voluit) **Pleminios** fecit: omnes rapiunt, spoliant, verberant, vulnerant, occidunt: constuprant matronas, virgines, ingenuos raptos ex complexu parentum. Quotidie capitur vrbs nostra, quotidie diripitur: dies noctesque omnia passim mulierum puerorumque, qui rapiuntur atque

asportantur, ploribus sonant. Miretur qui nesciat, quomodo aut nos ad patiendum sufficiamus, aut illos qui faciunt, nondum tantarum iniuriarum satietas ceperit. Neque ego exequi possum, nec vobis opus est audire singula quæ passi sumus: cõmuniter omnia complectar. Nego domum vllam Locris, nego quenquam hominem expertem iniuriæ esse: nego vllum genus sceleris, libidinis ac auaritiæ superesse, quod in eorum vllõ qui pati potuerit, prætermissum sit. Vix ratio iniri potest, vter casus ciuitatis sit detestabilior, quum hostes bello vrbem cepere, an quum exitiabilis tyrannus vi atque armis oppressit. Omnia quæ captæ vrbes patiuntur, passi sumus, & nunc quammaximè patimur, P. C. omnia quæ crudelissimi atque importunissimi tyranni scelera in oppressos ciues edunt, Pleminius in nos liberósque nostros coniugésque edidit. Vnum est de quo nominatim & nos queri religio infixã animis cogat, & vos audire, & exoluere rempublicam vestram religione (si ita vobis videbitur) velimur, P. C. vidimus enim cum quanta ceremonia non vestros solum colatis deos, sed etiam externos accipiatis. Fanum est apud nos Proserpinæ, de cuius sanctitate templi credo aliquam famam ad vos peruenisse Pyrrhi bello, qui quum ex Sicilia rediens Locros classe præterueheretur, inter alia fœda, quæ propter fidem nostram erga vos in ciuitatem nostram facinora edidit, thesauros quoque Proserpinæ intactos ad eam diem, spoliavit, atque ita pecunia in naues imposita, ipse terra est profectus. quid ergo euenit P. C. Classis postero die fœdissima tempestate lacerata, omnesque naues quæ sacram pecuniam habebant, in litora nostra eiectæ sunt. qua tanta clade edoctus, tandem deos esse superbissimus agnouit rex, pecuniãque omnem conquistam in thesauros Proserpinæ referri iussit: nec tamen illi vnquam postea prosperè quicquam euenit, pulsusque Italia, ignobili atque inhonesta morte temere nocte ingressus Argos occubuit. Hæc quum au disset legatus vester, tribunique militum, & mille alia quæ non augendæ religionis causa, sed præsentis deæ numine sæpe comperta nobis maioribusque nostris referebantur, ausi sunt nihilominus sacrilegas admouere manus intactis illis thesauris, & nefanda seipso præda ac domos contaminare suas, & milites vestros: quibus per vos fidemque vestram, P. C. priusquam eorum scelus expietis, neque in Italia neque in Africa quicquam rei gesseritis, ne, quod piaculi commiserunt, non solum suo sanguine sed etiam publica clade luant. Quanquam ne nunc quidem P. C. aut in ducibus, aut in militibus vestris cessat ira dea. aliquoties iam inter se signis collatis concurrerunt: dux alterius partis Pleminius, alterius duo tribuni militum erant. non acrius cum Carthaginensibus quàm ipsi inter se ferro dimicauerunt: præbuisentque occasionem furore suo Locros recipiendi Annibali, ni acitius à nobis Scipio interuenisset. At hercule milites contactos sacrilegio furor agitavit, in ducibus ipsis puniendis nullum deæ numen apparuit. imò ibi præsens maximè fuit: virgis cæsi tribuni ab legato sunt: legatus deinde insidiis tribunorum interceptus, præterquam quòd toto corpore laceratus, naso quoque auribusque decisis, exanguis est relictus. Recreatus deinde legatus ex vulneribus, tribunos militum in vincula coniectos, dein verberatos seruilibusque omnibus suppliciis cruciatos occidit, mortuos deinde prohibuit sepeliri. Has dea pœnas à templi sui spoliatoribus habet, nec antè desinet omnibus eos agitare furiis quàm reposita sacra pecunia in thesauris fuerit. Maiores quondam nostri graui Crotoniensium bello, quia extra vrbem templum est, transferre in vrbem eam pecuniam voluerunt: nocte audita ex delubro vox est, abstinerent manus, deam templi sua defensionem. quia mouendi inde thesauros incussa erat religio, muro circumdare templum voluerunt: ad aliquantum iam altitudinis excitata erant mœnia, quum subitò collapsa ruina sunt. Sed & nunc & tunc & sæpe aliàs dea suam sedem suumque templum aut tutata est, aut à violatoribus grauia piacula exegit: nostras iniurias nec potest nec possit alius vlciisci quàm vos P. C. Ad vos vestramque fidem supplices confugimus. Nihil nostra interest vtrum sub illo legato, sub illo præsidio Locros esse sinatis, an irato Annibali & Pœnis ad supplicium dedatis. Non postulamus vt extemplo nobis, vt de absente, vt in dicta causa credatis: veniat, coram ipse audiat, ipse diluat: si quicquam sceleris quod homo in homines edere potest, in nos prætermisit, non recusamus quin & nos omnia eadem iterum, si pati possumus, patiamur, & ille omni diuino humanoque liberetur scelere.

Ex trigesimo libro ab vrbe condita.

ORATIO SOPHRONISBAE VXORIS
Syphacis ad Masinissam.

ARGUMENTVM.

Capto Syphace, Masinissa Cirtham, caput regni Syphacis, quò ex fuga magna vis hominũ se receperat, ire destinabat: ac vocatis ad colloquium primoribus ciuitatis, non impetrare antè potuit vt vrbe dederent, quàm Syphacem regem vinctum in conspectum dari iussit. Ingressus deinde Cirtham, præfidiis ad portas dimissis, necui pateret egressus, ipse citato equo ad regiã ire pergebat, quum Sophronisba Syphacis vxor in regiæ vestibulo occurrēs, ita cum ipso loquuta est,

OMnia quidem vt posses in nos, dii tibi dederunt, virtusque & felicitas tua: sed si captiuæ apud dominum vitæ necisque suæ vocem supplicem mittere licet, si genua, si vitricem attingere dextram, precor quæsoque per maiestatem regiã, in qua paulo antè nos quoque fuimus, perque gentis Numidarum nomen, quod tibi cum Syphace commune fuit, per huiusce regiæ deos, qui te melioribus omnibus accipiant quàm Syphacem hinc miserunt: hanc veniam supplici des, vt ipse, quodcunque feret animus, de captiua statuas, neque me in cuiusquam Romani superbum ac crudele arbitrium venire sinas. Si nihil aliud quàm Syphacis vxor fuisset, tamen Numidæ atque in eadem mecum Africa geniti, quàm alienigenæ & externi fidem experiri mallet: quid Carthaginensi ab Romano, quid filiæ Asdrubalis timendum sit, vides. Si nulla alia re potes, me morte vt vindices ab Romanorum arbitrio, oro obtestorque.

ORATIO P. SCIPIONIS AD MASINISSAM.

ARGUMENTVM.

Introductus ad Scipionem Syphax, quum interrogaretur quid ita se mouisset ad sumenda arma contra Romanos, responderat, Vxoris meæ perfidia. Quæ vox in causa fuit vt P. Scipio plura de hac ipsa re cognoscere cuperet. Itaque iactis vltro cirroque multis quæ ad eã rem pertinerent, eò tandem ventum est vt Syphax ipse vxorem suam prædicaret à Masinissa sic amari, vt iam inter eos de matrimonio conuentum esset. Aegrè tulit ipsum illud Scipio, ac per occasionem in hæc verba à fœda libidine Masinissam deterrebat,

ALiqua te existimo, Masinissa, intuentem in me bona, & principio in Hispaniam ad iungendã mecum amicitiam venisse, & postea in Africa te ipsum spesque omnes tuas in fidem meam commississe: atqui nulla earum virtus est propter quam appetendus tibi visus sim, qua ego æquè atque temperantia & continentia libidinum gloriatus fuerim. Hanc te quoque ad cæteras tuas eximias virtutes, Masinissa, adiecisse velim. nam non est (mihi crede) tantum ab hostibus armatis atati nostræ periculum, quantum ab circumfusis vndique voluptatibus. Qui eas sua téperantia frænauit ac domuit, is multo maius decus maioremque victoriam sibi peperit quàm nos Syphace victo habemus. Quæ me absente strenuè ac fortiter fecisti, libenter & commemorauit & memini: cætera te ipsum reputare tecum, quàm me dicente erubescere, malo. Syphax populi Romani auspiciis victus captusque est: itaque ipse, coniunx, regnum, agri, oppida, homines qui incolunt, quicquid denique Syphacis fuit, præda populi Romani est. Et regem coniugemque eius, etiamsi non ciuis Carthaginensis esset, etiamsi nõ patrem eius imperatorem hostium videremus, Romam oporteret mitti, ac senatus populiq; Rom. de ea iudicium atque arbitrium esse, quæ regem nobis socium alienasse, atque in arma coegisse præcipitem dicatur. Vince animum: caue ne deformes multa bona vno vitio, & tot meritorum gratiam maiore culpa quàm causa culpæ est, corrumpas.

ORATIO ANNIBALIS AD P. SCI-
pionem de pace.

ARGUMENTVM.

Digressus ex Italia Annibal, quum Africam repetens, Zamam, quæ quinque tantum die-

h.iiii.

rum iter Carthagine abest, peruenisset, præmisit exploratores, qui cognoscerent quoniam in statu res illic Romanorum essent. Speculatores à custodibus in castra deducti, omisso metu videre omnia & contemplari iussi. Regressi quum lata omnia non secus quam in certa victoria nuntiarent, tum demum de pace Annibal cogitare cepit: at per suos Scipioni atque ad colloquium, conditiones pacis ferendas esse ita suavit,

SI hoc ita fato datum erat, ut qui primus bellum intuli populo Rom. quique toties prope in manibus victoriam habui, is ultro ad pacem petendam venirem, laetor te mihi forte potissimum datum à quo pacem peterem. Tibi quoque inter multa egregia non in ultimis laudum hoc fuerit, Annibalem, cui de tot Romanis ducibus victoriam dii dedissent, tibi cessisse, teque huic bello vestris prius quam nostris cladibus insigni finem imposuisse. Hoc quoque ludibrium fortunæ casus ediderit, ut cum patre tuo consule ceperim arma, cum eodem primum Romano imperatore signa contulerim: ad filium eius inermis ad pacem petendam veniam. Optimum quidem fuerat eam patribus nostris mentem datam ab diis esse, ut & vos Italiæ, & nos Africæ imperio contenti essemus. Neque enim ne nobis quidem Sicilia atque Sardinia satis digna pretia sunt pro tot classibus, tot exercitiis, tot tamque egregiis amissis ducibus. Sed præterita magis reprehendi possunt quam corrigi. Ita aliena appetuimus ut de nostris dimicarem: nec in Italia solum vobis bellum, nobis in Africa est, sed & vos in portis vestris prope ac mœnibus signa armæque hostium vidistis, & nos ab Carthagine fremitum castrorum Romanorum exaudiuimus. Quod igitur nos maxime abominaremur, vos autem ante omnia optaretis, in meliore vestra fortuna de pace agitur, agimusque ii quorum & maxime interest pacem esse, & qui quodcunque egerimus, ratum ciuitates nostræ habituræ sint. Animo tantum nobis opus est non abhorrente à quietis consiliis. Quod ad me attinet, iam ætas senem in patriam reuertentem, unde puer profectus sum, iam secundæ, iam aduersæ res ita erudierunt, ut rationem sequi quam fortunam malim. Tuam & adolescentiam & perpetuam felicitatem, ferociora vtraque quam quietis opus est consiliis, metuo. Non temere incerta casuum reputat quem fortuna nunquam decept. Quod ego fui ad Thrasymentum, ad Cannas, id tu hodie es, vix dum militari ætate imperio accepto. Omnia audacissime incipientem nunquam fefellit fortuna. Patris & patrui persequutus mortem, ex calamitate vestræ domus decus insigne virtutis pietatisque eximia cepisti, amissas Hispanias recuperasti, quatuor inde Punicis exercitiis pulsus. consul creatus, quum cæteris ad tutandam Italiam parum animi esset, transgressus in Africam, duobus hic exercitiis cæsis, binis eadem hora captis simul incensisque castris, Syphace potentissimo rege capto, tot urbibus regni eius, tot nostri imperii ereptis, me sextumdecimum iam annum hærentem in possessione Italiæ detraxisti. Potest victoriam malle quam pacem animus. noui vobis spiritus magnos magis quam vtilis: & mihi talis aliquando fortuna affulsit. quod si in secundis rebus bonam quoque mentem donarent dii, non ea solum quæ euenissent, sed etiam ea quæ euenire possent repararem. Ut omnium obliuiscaris aliorum, satis ego documenti in omnes casus sum: quem modò castris inter Anienem & urbem vestram positus, ac iam prope scædente mœnia Romana videras, hic cernis duobus fortissimis viris fratribus, clarissimis imperatoribus orbatum ante mœnia prope obsessæ patriæ, quibus terrui vestram urbem, ea pro mea deprecantem. **M A X I M A E** cuique fortunæ minimè credendum est. In bonis tuis rebus, nostris dubiis, tibi ampla ac speciosa danti est pax: nobis petentibus magis necessaria quam honesta. Melior tutiorque est certa pax quam sperata victoria: hæc in tua, illa in deorum manu est. Ne tot annorum felicitatem in vnius horæ dederis discrimen: cum tuas vires, tum vim fortunæ, martemque belli cõmunem propone animo: vtrinque ferrum, corpora humana erunt: **N V S Q V A M** minus quam in bello euetus respondent. Non tantum ad id quod data pace iam habere potes, si prælio vincas, gloriæ adieceris, quantum ademeris siquid aduersi eueniat. simul parta ac sperata decora, vnius horæ fortuna euertere potest. Omnia in pace iungenda tuæ potestatis sunt. **P. Corneli**: tunc ea habenda fortuna erit quam dii dederint. Inter pauca felicitatis virtutisque exempla, **M. Attilius** quondam in hac eadem terra fuisse fertur, si victor pacem petentibus dedisset patribus nostris: sed non statuendo tandem felicitati modum, nec cohibendo efferentem se fortunam, quanto altius elatus erat, eo fœdus corruit. Est quidem eius qui dat, non qui petit, conditiones dicere pacis: sed forsitan non indigni simus qui nobismetipsis multam irrogemus: qui non recusamus quin omnia propter quæ bellum initum est, vestra sint, Sicilia, Sardinia, Hispania,

quicquid insularum toto inter Africam Italiamque continetur mari: Carthaginienses inclusi Africae litoribus, vos (quando ita diis placuit) externa etiam terra marique videamus regentes imperia. Haud negauerim, propter non nimis sincerè petitam aut expectatam nuper pacem, suspectam esse vobis Punicam fidem. Multum per quos petita sit, ad fidem tuendae pacis pertinet, Scipio vestri quoque (ut audio) patres non nihil etiam ob hoc, quia parum dignitatis in legatione erat, negauerunt pacem. Annibal peto pacem, qui neque peterem, nisi vtilem crederem: & propter eandem utilitatem tuebor eam, propter quam peto. Et quemadmodum, quia à me bellum coeptum est, nequem eius poeniteret, quoad ipsi non inuidere dii, praestiti, ita annitar nequem pacis per me partae poeniteat.

ORATIO SCIPIONIS AD ANNIBALEM.

Non me fallebat, Annibal, aduentus tui spe Carthaginienses & praesentem induciarum fidem & spem pacis turbasse: neque tu id sanè dissimulas, qui de conditionibus superioribus pacis omnia subtrahas praeter ea quae iam pridem in nostra potestate sunt. Caeterum sicut tibi curae est, sentire ciues tuos quanto per te onere leuentur: sic mihi laborandum est ne quae tunc pepigerunt, hodie subtracta ex conditionibus pacis, praemia perfidia habeant. Indigni quibus eadem pateat conditio, ut etiam profit vobis fraus petitis. Neque patres nostri priores de Sicilia, neque nos de Hispania fecimus bellum: & tunc Mamertinorum sociorum periculum, & nunc Sagunti excidium nobis pia ac iusta induerunt arma. Vos laceffisse & tu ipse fateris, & dii testes sunt, qui & illius belli exitum secundum ius fasque dederunt, & huius dant & dabunt. Quod ad me attinet, & humanae infirmitatis memini, & vim fortunae reputo, & omnia quaecunque agimus, subiecta esse mille casibus scio. caeterum quemadmodum superbe & violenter me faterer facere, si priusquam in Africam traiecissem, te tua voluntate cedentem Italia, & imposito in naues exercitu, ipsum venientem ad pacem petendam aspernarer: sic nunc, quum propè manu conferta, restitantiem ac tergiversantiem in Africam attraxerim, nulla sum tibi verecundia obstrictus. Proinde siquid ad ea in quae tum pax conuentura videbatur (quae sunt nostri: multae nauium cum commeatu per inducias expugnatarum, legatorumque violatorum) adiicitur, est quod referam ad concilium: sin illa quoque grauiora videntur, bellum parate, quoniam pacem pati non potuistis.

ORATIO ANNIBALIS AD CARTHAGINIENSES, qui reprehenderant quod risisset in communi fletu.

ARGUMENTVM.

Inter alias pacis condiciones Carthaginiensibus petentibus pacem à Scipione auctoritate senatus datas, id etiam propositum erat, ut in annos quinquaginta, decem millia talentum argenti pensionibus æquis soluerent. Prima collatio pecuniae longo bello exhaustis difficilis videbatur: itaque quum ob eam ipsam causam caeteris in curia Carthaginiensi moerentibus atque fletibus vnus Annibal rideret, tum Asdrubal Hædus ridentem in publico fletu atque luctu increpauit, quum praesertim earum lacrymarum ipse causa esset. Tum Annibal in hanc sententiam respondit obiurganti atque caeteris,

SI quemadmodum oris habitus cernitur oculis, sic & animus intus cerni posset, facile vobis appareret, non læti sed propè amentis malis cordis hunc quem increpatis risum esse: qui tamen nequaquam adeo est intemptius quam vestrae istae absurdae atque abhorretes lacrymae sunt. Tunc fletu decuit, quum adempta nobis arma, incense naues, interdictum externis bellis. illo enim vulnere cecidimus. Nec esse in vos odio vestro consultum ab Rom. credatis. **N V L L A** magna ciuitas diu quiescere potest: si foris hostem non habet, domi inuenit: ut praeualida corpora ab externis causis tuta videtur, sed suis ipsa viribus oneratur. Tatum nimirum ex publicis malis sentimus quantum ad priuatas res pertinet: nec in eis quicquam acius quam pecuniae damnū stimulat. Itaque quum spolia victae Carthagini detrahebantur, quum inermem iam ac nudam destitui inter tot armatas gentes Africae cerneretis, nemo ingemuit: nunc quia tributum ex priuato conferendum est, tanquam in publico funere coploratis. Quam vereor ne propediem sentiat leuissimo in malo vos hodie lacrymasse.

Ex trigefimoprimo libro ab vrbe condita.

ORATIO P. SVLPITII CONSVLIS AD
populum, de bello in Macedoniam transferendo.

ARGVMENTVM.

Peruastabant Atheniensium agros Macedones: quæ fuit causa ut quum per se resistere Athenienses non possent, Romam de auxilio legatos mitterent. Interim decreta sunt prouinciæ: Macedonia P. Sulpitio consuli decreta. Iam rogatio de bello Macedonico promulgata erat, quum centuriæ omnes eam abrogant, suafu præsertim Q. Bebi tribuni plebis, qui incusando patres bellum ex bello feri & oriri dicebat. Patrum tandem valuit authoritas, quorum precibus victus P. Sulpitius, centuriis de integro ad comitia ferendæ rogationis causa vocatis, priusquam in suffragia misisset, in hæc verba bellum Macedonicum suafit,

Ignorare videmini mihi, Quirites, non vtrum bellum an pacem habeatis, vos consuli: (neque enim liberum id vobis permittet Philippus, qui terra marique ingens bellum molitur) sed vtrum in Macedoniam legiones transportetis, an hostem in Italiam accipiat. Hoc quantum interfit, si vnquam antè aliàs, Punico certè proximo bello experti estis. Quis enim dubitat quin si Saguntinis obsessis fidemque nostram implorantibus impigre tulissemus opem, sicut patres nostri Mamertinis tulerant: totum in Hispaniam auersuri bellum fuerimus, quod cunctando cum summa clade nostra in Italiam accepimus: Ne illud quidem dubium est quin hunc ipsum Philippum pactum iam per legatos literasque cum Annibale in Italiam traicere, misso cum classe Leuino, qui vltro ei bellum inferret, in Macedonia continuerimus. & quod tunc fecimus, quum hostem Annibalem in Italia haberemus, id nunc pulso Italia Annibale, deuictis Carthaginensibus, cunctamur facere: Patiamur expugnandis Athenis, sicut Sagunto expugnando Annibalè passifumus, segnitiam nostram experiri regem: non quinto inde mense, quemadmodum ab Sagunto Annibal, sed quinto inde die quàm ab Corintho soluerit naues, in Italiã perueniet. Ne æquaueritis Annibali Philippum, ne Carthaginensibus Macedonas: Pyrrho certè æquabitis, dico quantum vel vir viro vel gens genti præstat. Minima accessio semper Epirus regno Macedonia fuit, & hodie est: Peloponnesum totam in ditione Philippus habet, Argosque ipsos, non vetere fama magis quàm morte Pyrrhi nobilitatos. Nostra nunc compara: quanto magis florentem Italiam, quanto magis integras res saluis ducibus, saluis tot exercitibus, quos Punicum postea bellum absumpsit, aggressus Pyrrhus, tamen concussit, & victor propè ad ipsam urbem Romam venit: nec Tarentini modò, oraque illa Italiæ quam maiorem Græciam vocat, (ut linguam, ut nomen sequutos crederes) sed Lucanus & Brutius & Samnis à nobis defecerunt. Hæc vos, si Philippus in Italiam transmiserit, quietura aut quum deerit ad quem desciscant, à nobis non deficient. Si piguisset vos in Africam traicere, hodie in Italia Annibalem & Carthaginenses hostes haberetis. Macedonia potius sumus, foris nobis, quàm domi, feliciora potentioraque arma esse. Ite in suffragium, bene iuuantibus diis, & quæ patres censuerunt, vos iubete. Huius vobis sententiæ non consul modò author est, sed etiã dii immortales, qui mihi sacrificanti precantique ut hoc bellum mihi, senatui, vobisque & fociis ac nomini Latino, classibus exercitibusque nostris bene ac feliciter eueniret, læta omnia prosperaque portendere.

ORATIO LEGATI MACEDONVM IN
concilio AEtolorum in Romanos.

ARGVMENTVM.

Philippus rex Macedonum cum AEtolis foedus inierat: quos à Romanis contra se quum sollicitari audiret, misit legatos tum quum breui eorum concilium futurum esset, qui suaderent ut in Macedonum potius fide manerent, quàm Romanis, à quibus tot causæ odiorum in ipsos essent, se iungeret. Legati eo in concilio ante Romanos dicere iussi, ita rem exposuerunt,

Animitari Romanorum licentiam an leuitatem dicam, mauultis, qui quum legatis vestris Romæ responderi ita iussissent: quid ad nos venitis AEtoli, sine quorum

authoritate pacem cum Philippo fecistis : iidem nunc ut bellum secum aduersus Philippum geratis postulant, & antea propter vos & pro vobis arma sumpta aduersus eum simulabant, nunc vos in pace esse cum Philippo prohibent. Messana ut auxilio essent, primò in Siciliam conscenderunt: iterum, ut Syracusas oppressas ab Carthaginiensibus in libertatem eximerent : & Messanam & Syracusas & totam Siciliam ipsi habent, veltigalemque prouinciam securibus & fascibus subiecerunt. Scilicet sicut vos Naupacti legibus vestris per magistratus à vobis creatos concilium habetis, socium hostemque liberè quem velitis lecturi, pacem ac bellum arbitrio habituri vestro : sic Siculorum ciuitatibus Syracusas aut Messanam aut Lilybæum indicitur concilium : prætor Romanus conuentus agit: eò imperio euocati conueniunt: excelso in suggestu superba iura reddentè stipatum lictoribus vident: virgæ tergo, secures ceruicibus imminet : & quotânis alium atque aliû dominû fortiûtur. Nec id mirari debent aut possunt, quâ Italiae vrbes, Rhegiû, Tarentû, Capuâ (ne finitimas nominè quarû ruinis creuit res Romana) eiusdem subiectas videant imperio. Capua quidè sepulchrû & monumentû Campano populo data: extorri & cieccto ipso populo, superest vrbs trunca, sine senatu, sine plebe, sine magistratibus, prodigium, relicta crudelius habitanda quàm si deleta foret. Furor est, si alienigenæ homines, plus lingua & moribus & legibus, quàm maris terrarumque spatio discreti, hæc tenuerint, sperare quicquam eodem statu mansurum: Philippi regnum officere aliquid videri libertati vestræ: qui quum merito vestro vobis infestus esset, & nihil à vobis vltra quàm pacem petiit, fidemque hodie pacis pactæ desiderat. Assuefacite his terris legiones externas, & iugum accipite : serò ac nequicquam, quum dominum Romanum habebitis, socium Philippum quæretis. A Etolos, Arcarnanas, Macedones, eiusdem linguæ homines, leues ad tempus ortæ causæ disiungunt coniunguntque : cum alienigenis, cum barbaris æternum omnibus Græcis bellum est eritque. Natura enim, quæ perpetua est, non mutabilibus in diem causis, hostes sunt. Sed vnde cœpit oratio mea, ibi desinet. Hoc eodem loco iidem homines de eiusdem Philippi pace triennio antè decreuistis, iisdem improbantibus eam pacem Romanis qui nunc pactam & compositam turbare volunt. In qua consultatione nihil fortuna mutauit: cur vos mutetis, non video.

ORATIO LEGATI ROMANORVM IN
concilio AEtolorum.

ARGVMENTVM.

Ex priore huius cognitio pendet. Eodem ad eundem diem ad quem Macedones, & Romani oratores à P. Sulpitio consule missi, ut cum Aetolis agerent de societate per occasionem cum Romanis iungenda. In postremo loco post Macedonas & Athenienses iussi mandata peragere atque exponere, ita loquuti sunt;

Toram orationis meæ formam Macedones primùm, deinde Athenienses mutarunt. Nam & Macedones, quum ad conquerendas Philippi iniurias in tot socias nobis vrbes venissem, vtrò accusando Romanos, defensionem ut accusatione potiorem haberem effecerunt : & Athenienses, in deos superos inferosque nefanda atque inhumana scelera eius referendo, quid mihi aut cuiquam reliquerunt quod obiicere vltra possimus ? Eadem Cianos, Abydenos, Aeneos, Maronitas, Thasios, Parios, Samios, Larissenses, Messenios, hinc ex Achaia existimate queri: grauiora etiam acerbioraque eos quibus nocendi maiorem facultatem habuit. Nam quod ad ea attinet quæ nobis obiecit, nisi gloria digna sunt, fateor ea defendi non posse. Rhegium & Capuam & Syracusas nobis obiecit. Rhegium Pyrrhi bello legio à nobis, Rheginis ipsis ut mitteremus orantibus, in præsidium missa, urbem ad quam defendendâ missa erat, per scelus possedit. Comprobauimus igitur id facinus ? annon bello persequuti sceleratam legionem in potestatem nostram redactam, tergo & ceruicibus pœnas sociis pendere quum coegissemus, urbem, agros, suaque omnia cum libertate legibusque Rheginis reddidimus ? Syracusanis oppressis ab externis tyrannis (quod indignius esset) quâ tulissemus opem, & fatigati propè per triennium terra marique vrbe munitissima oppugnanda essemus, quum iam ipsi Syracusani seruire tyrannis quàm capi à nobis mallèt: captâ iisdem armis & liberatam urbem reddidimus. Neque

inficiās inūs Siciliam prouinciā nostrā esse: & ciuitates quācūque in parte Carthaginiensium fuerunt, & vno animo cum illis aduersus nos bellum gesserunt, stipendiarias nobis ac vectigales esse. Quin contrā, hoc & vos & omnes gentes scire volumus, pro merito cuique erga nos fortunam esse. An Campanorum poenā, de qua neque ipsi quidem queri possunt, nos poeniteat? Hi homines, quum pro iis bellum aduersus Samnites per annos propē septuaginta cum magnis nostris cladibus gessissemus, ipsos foedere primū, deinde connubio, atque inde cognationibus, postremō ciuitate nobis coniunxissemus: tēpore nostro aduerso primi omnium Italiā populorum, praesidio nostro foedē interfecto, ad Annibalem defecerunt. Deinde indignati se obsideri à nobis, Annibalem ad oppugnandam Romam miserunt. Horum si neque vrbs ipsa neq; homo quisquam superesset, quis id durius quā pro merito ipsorum statutum indignari posset? Plures sibi metipsi conscientia scelerum mortem consciuerunt quā à nobis supplicio affecti sunt. Cāteris ita oppidum, ita agros ademimus, vt agrum locūque ad habitandū daremus, vrbe innoxia stare incolumem pateremur: vt qui hodie videat eā, nullum ibi oppugnatae captiae vrbis vestigium inueniat. Sed quid ego Capuam dico, quum Carthagini victae pacem ac libertatem dederimus? Magis illud est periculum, ne nimis facile victis ignoscendo, plures ob id ipsum ad experiendam aduersus nos fortunam belli incitemus. Hāc pro nobis dicta sint, hāc aduersus Philippum: cuius domestica parricidia, & cognatorum amicorumque caedes, & libidinem inhumaniore propē quā crudelitatem, vos, quo propiores Macedoniae estis, melius nostis. Quod ad vos attinet, Aetoli, nos pro vobis bellum suscepimus aduersus Philippum, vos sine nobis cum eo pacem fecistis. Et forsitan dicatis, bello Punico occupatis nobis, coactos metu vos leges pacis ab eo qui tum plus poterat, accepisse: & nos, quum alia maiora vrgerent, depositum à vobis bellum & ipsi omisimus. Nunc & nos deū benignitate Punico perfecto bello, totis viribus nostris in Macedoniam incubuimus: & vobis restituendi vos in amicitiam societatemque nostram fortuna oblata est, nisi perire cum Philippo, quā vincere cum Romanis, mauultis.

Ex tricesimo secundo libro ab vrbe condita.

ORATIO ARISTHĒNI PRAETORIS Achæorum qua eos obiurgat.

ARGVMENTVM.

T. Quintius in obsidione Eltiae, ratus, Cycliade principe factionis aduersa expulso, Achæorum animos à Philippo auerri posse, legatos ad Achæos hac de re misit. Aristhenes erat praetor Achæorum, qui ea in causa Romanis fauebat. Is itaque quo die legari mandata exposuerant, quum propter imminentem noctem nihil trānsigi ac definiti posse videret, ius ferendi sententiam, dimisso senatu, in posterum diem differt. Postero die potestate facta à magistratibus si quis vellet suadendi, nemo prodibat, quum Aristhenus ne tacitum senatum rursus dimitteret, ita Achæos ipse increpare coepit.

Vbi illa certamina animorum, Achæi, sunt, quibus in conuiuibus & circulis, quum de Philippo & Romanis mentio incidit, vix manibus temperatis? nunc in concilio ad eam rem vnam indicto, quum legatorum vtrinque verba audieritis, quum referant magistratus, quum praeco ad suadendū vocet, obmutuistis. Si non cura communis salutis, ne studia quidem quae in hanc aut in illam partem animos vestros inclinarunt, vocem cuiquam possunt exprimere? quum praesertim nemo tam hebes sit qui ignorare possit, dicendi ac suadendi quod quisque aut velit, aut optimum putet, nunc occasionem esse priusquam quicquam decernamus: vbi semel decretum erit, omnibus id, etiam quibus antè displicuerit, pro bono atque vtili foedere defendendum.

ORATIO

ORATIO EIVSDEM ARISTHENI AD
Achæos pro postulatis Romanorum.

ARGVMENTVM.

Hoc ad superiorem orationē pertinet. Aristhenus, quum ne oratione quidem sua victos Achæos videret, vt suaderent: ita de postulatis legatorum Romanorum sententiam peregit,

NON magis consilium vobis, principes Achæorum, deest quàm lingua: sed suo quifque periculo in commune consultum non vult. Forsitan ego quoque tacerem si priuatus essem: nunc prætor video aut nõ dandum concilium legatis fuisse, aut inde sine responso eos dimittendos non esse. Respondere autem sine vestro decreto quif possum? Et quando nemo vestrum qui in hoc concilium aduocati estis, pro sententia quicquam dicere vult aut audet, orationes legatorum hesternò die dictas pro sententiis percenseamus, perinde ac si nõ postulauerint quæ è re sua essent, sed suaserint quæ nobis censerent vitilia esse. Romani Rhodique & Attalus societate amicitiamque nostram petunt, & in bello quod aduersus Philippum gerunt, se à nobis adiuuari æquum censent. Philippus societatis secum admonet, & iurifurandi, & modò postulat vt secum stemus, modò ne intersimus armis, contentum ait se esse. Nulline venit in mentem, cur qui nondum socii sunt, plus petunt quàm socius? Non fit hoc neque modestia Philippi, neque impudentia Romanorum. Achæi portus & dant fiduciam postulanti, & demunt. Philippi præter legatum videmus nihil: Romana classis ad Cenchræas stat, vrbium Eubœæ spolia præ se ferens: consulem legionisque eius exiguo maris spatio disunctas Phocidæ & Locridem peruagantes videmus. Miramini cur diffidenter Cleomedon legatus Philippi vt pro rege arma caperemus aduersus Romanos, modò egerit? qui si ex eodem fœdere ac iure iurando, cuius nobis religionem iniiciebat, rogemus eum vt nos Philippus & ab Nabide ac Lacedæmoniis & ab Romanis defendat: non modò præsidium quo nos tueatur, sed ne quid respõdeat quidem nobis, sit inuenturus: non hercle magis quàm ipse Philippus, qui priore anno pollicendo se aduersus Nabidem bellum gesturum, quum tentasset nostram iuuentutem hinc in Eubœam extrahere, posteaquam nos neque decernere id sibi præsidium, neque velle illigari Romano bello vidit, oblitus societatis eius quam nunc iactat, vastandos depopulandosque Nabidi ac Lacedæmoniis reliquit. Ac mihi quidem minimè cõueniens inter se oratio Cleomedontis visa est. Eleuabat Romanum bellum, euentumque eius eundem fore qui prioris belli quod cum Philippo gesserunt, dicebat. Cur igitur nostrum ille auxilium absens petit potius quàm præsens nos veteres socios simul ab Nabide ac Romanis tueatur? Nos dico? quid ita passus est Eretriã Carystumque capi? quid ita tot Thessaliæ vrbes? quid ita Locridem Phocidemque? quid ita nunc Elatiã oppugnari patitur? Cur excessit faucibus Epiri, claustrisque illis inexpugnabilibus super Aoum amne, aut vi, aut metu, aut volutate? relictoque que insidebat saltu, penitus in regnum abiit? Si sua voluntate tot socios reliquit hostibus diripiendos, quid recusare potest quin & socii sibi cõsulant? Si metu, nobis quoque ignoscat timentibus: si victus armis cessit, Achæi nos arma Romana sustinebimus Cleomedon, quæ vos Macedones nõ sustinuitis? An tibi potius credamus Romanos nõ maioribus copiis nec viribus nunc bellum gerere quàm antea gesserint, potius quàm res ipsas intueamur? A Etolos quum classe adiuuerunt, nec duce consulari, nec exercitu bellum gesserunt: sociorum Philippi maritimæ vrbes in terrore ac tumultu erant, mediterranea adeo tuta ab Romanis armis fuerunt vt Philippus A Etolos nequicquam opem Romanorum implorantes depopularetur. Nunc autem defuncti bello Punico Romani, quod per sexdecim annos velut intra viscera Italiæ tolerauerunt, nõ præsidium A Etolis bellantibus miserunt, sed ipsi duces belli arma terra marique simul Macedonia intulerunt. Tertius iam consul summa vi gerit bellum. Sulpitius in ipsa Macedonia congressus fudit fugauitque regem, partem opulentissimam regni eius depopulatus. Nunc Quintius tenentem claustra Epiri, natura loci, munimentis exercitumque fretum, castris exiit, fugientem in Thessaliam persequutus: præsidia regia sociasque eius vrbes propè in conspectu regis ipsius expugnauit. Ne sint vera quæ Athenienses modò legati de crudelitate, avaritia & libidine regis dixerunt: nihil ad nos pertineant quæ in terra Attica scelera in superos inferosque deos sint admissa, multo minus quàm quæ Eleuntii Abydenique, qui procul à nobis absunt, passi sunt: nostrorum ipsi vulnerum, si vultis, obliuiscamur: cædes direptionesque bonorum Messenæ in

media Peloponneso factas: & hospitem Cyparissæ Garitenem contra ius omne ac fas inter epulas propè ipsas occisum: & Aratum patrem filiumque Sicyonios, quum senem infelicem, parentem etiam appellare solitus esset, interfectos: filii etiam eius vxorem libidinis causa in Macedoniam asportatam: cætera stupra virginum matronarumque obliuioni dentur: ne sint cum Philippo res, cuius crudelitatis metu obmutuistis omnes, (nam quæ alia tacendi aduocatis in concilium causa est?) cum Antigono mitissimo atque iustissimo rege & de nobis omnibus optimè merito, existimemus disceptationem esse: num id postulare facere nos, quod tum fieri non posset? Peninsula est Peloponnesus angustis Isthmi faucibus continenti adhærens, nulli apertior atque opportunior quàm nauali bello. Si centum tectæ naues & quinquaginta leuiore apertæ, & triginta Issaici lembi maritimam oram vastare, & expositas propè in ipsis littoribus vrbes cœperint oppugnare: in mediterraneas scilicet nos vrbes recipiemus, tanquam non intestino & hærente in ipsis visceribus vramur bello? Quum terra Nabis & Lacedæmonii, mari Romana classis urgebunt, vnde regiam societatem & præsidia Macedonum implorem? An ipsi nostris armis ab hoste Romano tutabimur vrbes quæ oppugnabuntur? Egregiè enim Dymas priore bello sumus tutati. Satis exemplorum nobis alienæ clades præbent: ne quæramus quem admodum cæteris exemplo simus. Nolite, quia vltro Romani petunt amicitiam, id quod optandum vobis ac summopere expetendum erat fastidire. Metu enim videlicet compulsi in aliena terra, quia sub vmbra auxilii vestri latere volunt, in societate vestrà confugiunt, vt portubus vestris recipiantur, vt com meatibus vtantur. Mare in potestate habent: terras quascunque adeunt, extemplo ditionis suæ faciunt: quod rogant, cogere possunt: quia pepercisse vobis volūt, cõmittere vos cur pereatis nõ patiuntur. Nam quod Cleomedon modo tanquam mediã & tutissimam vobis viam cõsili, vt quiesceretis abstineretisq; armis, ostendebat: ea non mediã, sed nulla via est. Etenim præterquam quòd aut accipiendã aut aspernandã vobis Romana societas est, quid aliud quàm (nusquam gratia stabili, velut qui euētum expectauerimus, vt fortunæ applicaremus nostra consilia) præda victoris erimus? Nolite, si, quod omnibus votis petendum erat, vltro offertur, fastidire. Non quemadmodum hodie vtrunq; vobis licet, sic semper liciturum est. Nec sæpe nec diu eadem occasio erit. Liberare vos à Philippo iamdiu magis votis quàm armis audetis: sine vestro labore & periculo, qui vos in libertate vindicaret, cū magnis classibus exercitibusq; mare traiecerūt. Hos si socios aspernamini, vix sanæ mētis estis: sed aut socios aut hostes habeatis oportet.

PHILIPPI REGIS ET T. QUINTII

consulis congressus.

ARGUMENTVM.

Placuerat Philippo T. Quintium consulem acciri ad colloquium: consul etsi grauatè, tamen regi concessit. Littus prope Niceam ad colloquium vtrinque eligitur. Quòd vbi conuenerunt, ita antè colloquuti sunt, quàm de pacis legibus ageretur. Hoc subiicere lubuit propter festiuitatem.

Inter hos Romanus ad extremum littus progressus, quum rex in proram nauis in anchoris stantibus processisset, Commodius, inquit, si in terram egrediaris, ex propinquo dicemus inuicem audiemusque. Quum rex facturum se id negaret, Quem tandem, inquit Quintius, times? Ad hoc ille superbo & regio animo, Neminem equidem timeo præter deos immortales: non omnium autem credo fidei quos circa te video, atque omnium minimè Aetolis. Istud quidem, ait Romanus, par omnibus periculū est, qui cum hoste ad colloquium congregiuntur, vt nulla fides sit. Non tamen, inquit rex, ô Tite Quinti, par perfidiæ præmium est, si fraude agatur, Philippus & Phaneas. neque enim æquè difficulter Aetoli prætorem alium, ac Macedones regem in meum locum substituant.

PHILIPPI REGIS AD AETOLOS

& alios responsum.

ARGUMENTVM.

Datis à T. Quintio Philippo regi pacis conditionibus, Phaneas Aetolorum prætor,

postulabat inter cetera ut rex ex Græcia decederet, restitueretque Ætolis quæ quondam ipsorum iuris fuissent: quum Alexander Ætolorum princeps interpellato sermone Phanæ quidē, sed de illa ipsa re continuato, Philippo inter alia obiicere cœpit quod plura socius Ætolis ademisset, quàm hostis: Thessalorum socius vrbes diruisset: Lysimachiam pulso præsidio Ætolorum occupasset: Chium suæ ditionis urbem funditus euerteret. Hæc Philippo obiiciebatur, quibus ita respondit,

AN quod à sociis eorum non abstinerint, iustam querelam habent? quum ipsi pro lege hunc morem antiquitus seruent, ut aduersus socios ipsi suos, publica tantum auctoritate dempta, iuuentutem suam militare sinant, & contrariæ persæpe acies in vtraque parte Ætolica auxilia habeant? Neque ego Chium expugnaui, sed Prusiam socium & amicum oppugnantem adiuui. & Lysimachiam ab Thracibus vindicaui: sed quia me necessitas ad hoc bellum à custodia eius auertit, Thracæ habet. Et Ætolis hæc. Attalo autē Rhodiusque nihil iure debeo: non enim à me sed ab illis principium belli ortū est. Romanorum autem honoris causa Peræam Rhodiis, & naues Attalo cum captiuis qui comparerunt, restituiam. Nam quod ad Nicephorium Venerisque templi restitutionem attinet, quid ea restitui postulantibus respondeam, nisi (quo vno modo syluæ lucique cæsi restitui possunt) curam impensamque satiationis me præstaturum: quoniam hæc inter se reges postulare & respondere placet.

Ex trigesimoquarto libro ab vrbe condita.

ORATIO M. CATONIS CONSULIS PRO LEGE

Oppia contra mulierum luxuriam:

ARGUMENTVM.

M. Oppius & T. Romuleius tribuni plebis inter procillas belli Punici Q. Fabio & T. Sæpronio consulibus legem tulerant nequa mulier plus semuncia auri haberet, neu vestimento versicolori vteretur, neu iuncto vehiculo in vrbe oppidove aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa, veheretur. Ea lex ab altero latore Oppia dicta. Matronæ nobiles omnes homines ad legis abrogationem sollicitabant: nec iam vlla auctoritate, verecundia, imperiove primorum patrum à limine senatus contineri atque arceri poterant. Nunc ad forum frequentes conueniebant, nunc per vias vrbis discurrebant, orantes viros ut in tam secunda fortuna sibi ornatus aduersis rebus negatus atque ademptus redderetur. Lex ipsa præter tribunos pl. duos, M. quoque Porcium Catonem consulem defensorem habebat: ceteri ferè impugnabant. Is itaque Porcius Cato matronarum conciliabula tota vrbe totis diebus frequentia præter morem fieri cernens, quum quid ita conuenirent intellexisset, aduocata concione ita pro lege aduersus luxuriam mulierum disseruit. L. Valerius tribunus pl. is qui tulerat de lege abroganda, post Catonem, ut sequitur, pro mulieribus aduersus legem Catoni respondit.

SI in sua quisque nostrum matrefamilias, Quirites, ius & maiestatem viri retinere institisset, minus cum vniuersis foeminis negotii haberemus: nunc domi victa libertas nostra impotentia muliebri, hic quoque in foro obteritur & calcatur: & quia singulas sustinere non potuimus, vniuersas horremus. Equidem fabulam & fictam rem ducebam esse, virorum omne genus in aliqua insula coniuratione muliebri à stirpe sublatum esse. Ab nullo genere non æquè summum periculum est, si coctus & eocilia & seceretas consultationes esse finas. Atque ego vix statuere apud animum meum possum, vtrum peior ipsa res, an peiore exemplo agatur: quorum alterum ad nos consules reliquosque magistratus, alterum ad vos Quirites magis pertinet. Nam vtrum è republica sit necne, id quod ad vos fertur, vestra estimatio est qui in suffragium ituri estis. Hæc consternatio muliebris, siue sua sponte, siue auctoribus vobis, M. Fundani, & L. Valeri, facta est, haud dubie ad culpam magistratum pertinens, nescio, vobis tribunis an consulibus magis sit deformis: vobis, si foeminas ad concitandas tribunitias seditiones iam adduxistis: nobis, si ut plebis quondam, sic itunc mulierum secessione leges accipiendæ sunt. Equidem non sine rubore quodam paulo antè per medium agmen mulierum in forum perueni. Quod nisi me verecundia singularum magis maiestatis & pudoris quam vniuersarum tenuisset, ne compellatæ à consule videretur, dixissem, Qui hic mos est in publicum procurrendi, & obsidendi vias, & viros alienos appellandi? Istud ipsum suos quæque domi rogare non potuistis? an blandiores in publico quam in privato, & alienis quam vestris estis? Quanquam ne domi quidem vos, si iuris finibus matronas contineret pudor, quæ leges hic rogarentur abrogareturve, curare decuit. Maiores nostri nullam ne priuatam quidem rem agere foeminas sine auctore voluerunt:

in manu esse parentum, fratrum, virorum: nos (si diis placet) iam etiam remp. capessere eas patimur, & foro quoque & concionibus & comitiis immisceri. Quid enim nunc aliud per vias & compita faciunt quam quod alia rogationes tribunorum pleb. suadent, alia legem abrogandam censent? Date fratros impotenti naturæ & indomito animali: & sperate ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis. Minimum hoc eorum est quæ iniquo animo foemina sibi aut moribus aut legibus iniunctum patiuntur: omnium rerum libertatem, imò licentiæ (si vera dicere volumus) desiderant. Quid enim, si hoc expugnauerint, non tentabunt? Recensete omnia muliebria iura, quibus licentiæ earum alligauerint maiores nostri, per quæque subiecerint viris: quibus omnibus constrictas, vix tamen cōtinere potestis: quid? si capere singula & extorquere, & exæquari ad extremum viris patimini, tolerabiles vobis eas fore creditis? Extemplo simul pares esse cœperint, superiores erunt. At hercule nequid nouum in eas rogetur, recusant non ius, sed iniuriam deprecantur. Imò ut quam accepistis, iussistis suffragiis vestris legem, quam vsu tot annorum & experiendo comprobastis, hanc ut abrogetis: id est, ut vnam tollendo legem, cæteras infirmetis. Nulla lex satis comoda omnibus est: id modò quæritur si maiori parti & in summam prodest, Siquod cuiquam priuatim officiet ius, id destruet ac demolietur: quid attinebit vniuersos rogare leges, quas mox abrogare, in quos latae sunt, possint? Volo tamen audire quid sit propter quod matronæ consternatae procurrant in publicum, ac vix foro se ac concione abstineant. Ut captiui ab Annibale redimantur, parentes, viri, liberi, fratres earum. procul abest absitque semper talis fortuna reipublicæ: sed tamen quum fuit, negastis hoc piis precibus earum. At non pietas nec sollicitudo pro suis, sed religio congregauit eas. Matrem Idæam Pessinunte ex Phrygia venientem accepturæ sunt. Quid honestum dictum saltem seditioni prætenditur muliebri? Ut auro & purpura fulgeamus, inquit: ut carpentis festis profestisque diebus velut triumphantes de lege victa & abrogata, & captis & ereptis suffragiis vestris, per urbem vectemur: ne vllus modus sumptibus nec luxuriæ sit. Sæpe me querentem de foeminarum, sæpe de virorum, nec de priuatorum modò sed etiam magistratuum sumptibus, audistis: diuersisque duobus vitiis auaritia & luxuria ciuitatem laborare, quæ pestes omnia magna imperia euerterunt. Hæc ego, quo melior lætiórque in dies fortuna reip. est: quo magis imperium crescit, & iam in Græciam Asiãque transcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, & regias etiam atrectamus gazas, eo plus horreo ne illæ res magis nos ceperint quam nos illas. Infesta (mihi credite) signa ab Syracusis illata sunt huic urbi: iam nimis multos audio Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes mirantesque, & antefixa fictilia deorum Romanorum ridentes. Hos ego malo propitios deos, & ita spero futuros, si in suis manere sedibus patiemur. Patrum nostrorum memoria per legatum Cyneam Pyrrhus non virorum modò sed etiam mulierum animos donis tentauit. Nondum lex Oppia ad coercendam luxuriam muliebrem lata erat, tamen nulla accepit. Quam causam fuisse censetis? Eadè fuit quæ maioribus nostris nihil de hac re lege sanciedi. nulla erat luxuria quæ coereretur. **S I C V T** antè morbos necesse est cognitos esse quam remedia eorum: sic cupiditates prius natae sunt quam leges quæ iis modum facerent. Quid legem Liciniam excitauit de quingentis iugeribus, nisi ingens cupido agros continuandi? Quid legem Cinciam de donis & muneribus, nisi quia vestigialis iam & stipendiaria plebs esse senatui cœperat: Itaque minimè mirum est nec Oppiam nec aliam vllam tum legem desideratam esse, quæ modum sumptibus mulierum faceret, quum aurum & purpuram data & oblata vltro, non accipiebant. Si nunc cum illis donis Cyneas urbem circuiret, stantes in publico inuenisset quæ acciperent. Atque ego nonnullarum cupiditatum ne causam quidè aut rationem inire possum. nã ut quod alii liceat, tibi non licere, aliquid fortasse naturalis aut pudoris aut indignationis habeat: sic æquato omnium cultu, quid vnaquæque vestrum veretur ne in se conspiciatur? Pessimus quidem est pudor, vel parsimoniam vel paupertatis: sed vtrunque lex vobis demit, quum id quod habere non licet, non habetis. Hanc, inquit, ipsam exæquationem non fero, illa locuples. cur non insignis auro & purpura conspicior? cur paupertas aliarum sub hac legis specie latet, ut quod habere non possunt, habituræ, si liceret, fuisse videantur? Vultis hoc certamen vxoribus vestris iniicere, Quiritis, ut diuites id habere velint quod nulla alia possit? pauperes, ne ob hoc ipsum contendantur, supra vires se extendant? Næ simul pudere quod non oportet, cœperit: quod oportet, non pudebit. quæ de suo poterit, parabit: quæ non poterit, virum rogabit. Miserum illum virum,

& qui exoratus & qui non exoratus erit : quum quod ipse non dederit, datum ab alio videbit. Nunc vulgò alienos viros rogant : & (quod maius est) legem & suffragia rogant, & à quibusdam impetrat, aduersus te & rem tuam & liberos tuos inexorabiles. Simul lex modum sumptibus vxoris tuæ facere desierit, tu nūquam facies. Nolite eodem loco existimare, Quirites ; futuram rem quo fuit antequam lex de hoc ferretur. & hominem improbum non accusari tutius est quàm absolui : & luxuria non mota tolerabilior esset quàm erit nūc ipsis vinculis, sicut fera bestia irritata, deinde emissa. Ego nullo modo abrogādam legem Oppiam censeo : vos quod faxitis, deos omnes fortunare velim.

ORATIO L. VALERII TRIBUNI PL.
pro mulieribus contra legem Oppiam.

SI priuati tantummodo ad suadendum dissuadendumque id quod à nobis rogatur, processissent : ego quoque quum satis dictū pro vtraque parte existimarem, tacitus suffragia vestra expectassem. Nunc, quum vir grauiissimus consul M. Porcius, non auctoritate solum, quæ tacita satis momenti habuisset, sed oratione etiā longa & accurata insectatus sit rogationē nostram, necesse est paucis respondere. Qui tamen plura verba in castigandis matronis quàm in rogatione nostra dissuadenda cōsumpsit, & quidem vt in dubio poneret vtrū id quod reprehenderet, matronæ suæ spōte, an nobis auctoribus fecissent. Rem defendā, nō nos, in quos iecit magis hæc consul verbo tenus, quàm vt re insimularet. Cœtum & seditiones & interdum secessionem muliebrem appellauit, quod matronæ in publico vos rogassent vt legem in se latam per bellum temporibus duris, in pace & florente ac beata rep. abrogaretis. Verba magna, quæ rei augēdæ causa conquirantur, & hæc & alia esse scio : & M. Catonem, oratorē non solum grauē, sed interdum etiā truceem esse scimus omnes, quū ingenio sit mitis. Nā quid tandem noui matronæ fecerunt, quod frequentes in causa ad se pertinente in publicū processerunt? Nunquā ante hoc tēpus in publico apparuerūt : Tuas aduersus te Origines reuoluā : accipe quoties id fecerint, & quidem bono semper publico. Iam à principio regnante Romulo, quū Capitolio à Sabinis capto, medio in foro signis collatis dimicaretur, nōne intercurso matronarū inter acies duas præliū sedatum est? Quid regibus exactis, quū Coriolano Martio duce, legiones Volscorum castra ad quintū lapidem posuissent, nōne id agmen quo obruta hæc vrbs esset, matronæ auerterunt? Iam vrbe capta à Gallis, aurū quo vrbs redēpta est, nempe matronæ consensu omnium in publicum contulerūt. Proximo bello (ne antiqua repetā) nōne & quum pecunia opus fuit, viduarum pecuniæ adiuuerunt ærariū : & quum dii quoque noui ad opem ferendam dubiis rebus accerserētur, matronæ vniuersæ ad mare profectæ sunt ad matrem Idæam accipiendam? Dissimiles, inquit, causæ sunt. Nec mihi causas æquare propositum est : nihil noui factū purgare satis est. Cæterum quod in rebus ad omnes pariter viros foeminasque pertinentibus fecisse eas nemo miratus est, in causa propriè ad ipsas pertinente miramur fecisse? Quid autem fecerunt? Superbas mediussidius aures habemus, si, quū domini seruorū non fastidiāt preces, nos rogari ab honestis foeminis indignamur. Venio nunc ad id de quo agitur, in quo duplex consulis oratio fuit. Nam & legem vllam omnino abrogari est indignatus, & eam præcipuè legem quæ luxuriæ muliebris coercendæ causa lata esset. Et illa communis pro legibus visa consularis oratio est, & hæc aduersus luxuriam ferocissimis moribus conueniebat. Itaque periculum est, nisi, quid in vtraque vani sit, docuerimus, ne quis error vobis offundatur. Ego enim quemadmodum ex iis legibus quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut vsus coarguit, aut status aliquis reipublicæ inutilem fecit : sic quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales (vt ita dicam) & temporibus ipsis mutabiles esse video. Quæ in pace latæ sunt, plerumquē bellum abrogat : quæ in bello, pax : vt in nauis administratione alia in secunda, alia in aduersa tempestate vsui sunt. Hæc quum ita natura distincta sint, ex vtro tandem genere ea lex esse videtur quam abrogamus? an vetus regia lex simulcum ipsa vrbe nata? an (quod secundum est) à decemviris ad condenda iura creatis in duodecim tabulis scripta? sine qua quum maiores nostri non existimarint matronale decus seruari posse : nobis quoque verendum sit necum ea pudorem sanctitatemque foeminarum abrogemus? Quis igitur nescit nouam

istam legem esse, Q. Fabio & T. Sempronio consulibus viginti annis antè latam : sine qua quum per tot annos matronæ optimis moribus vixerint, quod tandem, ne abrogata ea effundantur ad luxuriam, periculum est? Nam si ista lex ideo lata esset vt finiret libidinem muliebre, verendum foret ne abrogata incitaret. Cur sit autem lata, ipsum indicauit tempus. Annibal in Italia erat victor ad Cannas: iam Tarentum, iam Arpos, iam Capuam habebat: ad urbem Romam admoturus exercitum videbatur: defecerant socii: non milites in supplementum, non socios nauales ad classẽ tuendam, non pecuniam in ærario habebamus: serui, quibus arma darentur, ita vt pretium pro iis bello perfecto dominis solueretur, emebantur. In eandem diem, frumentum, & cætera quæ belli vsus postulabant, præbenda, publicani se conducturos professi erant: seruos ad remum numero ex censu constituto cum stipendio nostro dabamus: aurum & argentum omne, à senatoribus eius rei initio orto, in publicum conferebamus: viduæ & pupilli pecunias suas in ærarium deferebant: cautum erat quò ne plus auri & argenti facti, quò ne plus signati argenti & æris domi haberemus. Tali eo tempore in luxuria & ornatu matronæ occupatæ erant vt ad eam coercendam lex Oppia desiderata sit: quum, quia Cereris sacrificium lugentibus omnibus matronis intermissum erat, senatus finire luctum triginta diebus iussit. Cui non apparet, inopiam & miseriam ciuitatis, & quia omnium priuatorum pecuniæ in vsum publicum vertendæ erant, istam legem scripsisse, tandiu mansuram, quandiu causa scribendæ legis mansisset? Nam si quæ tunc temporis causa aut decreuit senatus, aut populus iussit, in perpetuum seruari oportet: cur pecunias reddimus priuatis: cur publica præsentem pecuniam locamus: cur serui qui militent, non emuntur: cur priuati non damus remiges, sicut tunc dedimus? Omnes alii ordines, omnes homines mutationem in meliorem statum reipub. sentient, ad coniuges tantum nostras pacis & tranquillitatis publicæ fructus non perueniet? Purpura viri vtentur, prætextati in magistratibus, in sacerdotiis: liberi nostri prætextis purpura togis vtentur: magistratibus in coloniis municipiisque, hic Romæ infimo genere magistris vicorũ togæ prætextæ habendæ ius permittemus: nec id vt viui solum habeant tantum insigne, sed etiam vt cum eo cremantur mortui: fœminis dumtaxat purpuræ vsu interdicens? Et quum tibi viro liceat purpura in veste stragula vti, matrem familiã tuam purpureum amiculum habere non sines? & equus tuus speciosius instratus erit quàm vxor vestita? Sed in purpura, quæ teritur, absimitur, non iustam quidem, sed aliquam tamen causam tenacitatis video: in auro verò, in quo præter manus pretium nihil intertrimenti fit, quæ malignitas est? Præsidium potius in eo est & ad publicos & ad priuatos vsus, sicuti experti estis. Nullam æmulationem inter se singularum, quando nulla haberet, esse aiebat. At hercule vniuersis dolor & indignatio est, quum sociorum Latini nominis vxoribus vident ea concessa ornamenta quæ sibi adempta sint: quum insignes eas esse auro & purpura: quum illas vehi per urbem, se pedibus sequi: tanquam in illarum ciuitatibus, non in sua imperium sit. Virorum hoc animos vulnerare possit: quid muliercularum censetis, quas etiam parua mouent? Non magistratus, nec sacerdotia, nec triumphi, nec insignia, nec dona aut spolia bellica iis contingere possunt: munditiæ, ornatus, & cultus, hæc fœminarum insignia sunt: his gaudent & gloriantur: hunc mundum muliebre appellarunt maiores nostri. Quid aliud in luctu quàm purpuram atque aurum deponunt? quid quum cluxerunt, sumunt? Quid in gratulationibus supplicationibusque nisi excellentiorem ornatum adiiciunt? Scilicet si legem Oppiam abrogaueritis, non vestri arbitrii erit, siquid eius vetare volueritis quod nunc lex vetat. minus filiarum, vxores, sorores etiam quibusdam in manu erunt. Nunquam saluis suis exiit seruitus muliebris: & ipsæ libertatem, quam viduitas & orbitas facit, detestantur. In vestro arbitrio suum ornatum, quàm in legis, malunt esse: & vos in manu & tutela, non in seruitio debetis habere eas: & malle patres vos aut viros quàm dominos dici. Inuidiosis nominibus vtēbatur modò consul, seditionem muliebre & secessionem appellando. Id enim periculum est, ne Sacrum montem (sicut quondam irata plebs) aut Auētinum capiant. Pauendum huic infirmitati est quodcunque vos censueritis. Quo plus potestis, eo moderatius imperio vtī debetis.

ORATIO M. PORCII CATONIS
consulis ad suos.

ARGUMENTVM.

Abrogata lege Oppia, Porcius Cato consul exemplo in Hispaniam cū copiis profectus est. Hic, vt hostium suorumque animos experiretur, milites exercebat agendis prædis ex hostium agro. Quod vbi satis explorasset, conuocari omnes iussit: quos in hunc modum ad legitimum certamen adhortari cœpit,

TEmpus quod sæpe optastis, venit, quo vobis potestas fieret virtutē vestrā ostendendi. Adhuc prædonū magis quàm bellantiū militastis more: nunc iusta pugna hostes cū hostibus conferetis manus. non agros inde populari, sed vrbium opes haurire licebit. Patres nostri, quum in Hispania Carthaginensium & imperatores & exercitus essent, ipsi nullum imperatorem, nullos in ea milites haberent, tamen addere hoc in fœdere voluerunt, vt imperii sui Iberus fluuius esset finis: nunc quum duo prætores, quum consul, quū tres exercitus Romani Hispaniam obtineant, Carthaginensium iam propè decem annis nemo in his prouinciis sit: imperium nobis citra Iberum amissum est. Hoc armis & virtute recuperetis oportet, & nationem rebellantem magis temere, quàm constanter bellantē, iugum quo se exiit, accipere rursus cogatis.

ORATIO T. QUINTII IN CONVENTV GRÆCIAE.

ARGUMENTVM.

Iam in pace & libertate vniuersa Græcia præter Ætolos erat, quū T. Quintio senatusconsultū de suscipiendo bello aduersus Nabin Lacedæmonium, qui Argos occupabat, affertur. Eo itaq; lecto, Corinthū in constitutā diem cōuentum omnium sociarum ciuitatū Græciæ edicit. Ad diem quum frequentes conuenissent, ita de bello aduersus Nabin gerendo retulit,

Bellum aduersus Philippum non magis cōmuni animo consiliōque Romani Græciæque gesserunt quàm vtrique suas causas belli habuerunt. Nam & Romanorum amicitia nunc Carthaginenses hostes eorū iuuando, nunc hic sociis nostris oppugnandis violauerat: & in vos talis fuit vt nobis, etiamsi nostrarum obliuisceremur iniuriarum, vestræ iniuriæ satis digna causa belli fuerint. Hodierna consultatio tota ex vobis pendet. Refero enim ad vos, vtrum Argos, sicut scitis ipsi, ab Nabide occupatos, pati velitis sub ditio-
ne eius esse, an æquū censeatis nobilissimā vetustissimāq; ciuitatē in media Græcia sitam repeti in libertatē, & eodē statu quo cæteras vrbes Peloponnesi & Græciæ esse. Hæc cōsultatio, vt videtis, tota de re pertinēte ad vos est: Romanos nihil cōtingit, nisi quatenus libertatē Græciæ, vnius ciuitatis seruitus non plenā neq; integrā gloriā esse finit. Cæterum si vos nec cura eius ciuitatis, nec exēplū, nec periculū mouet, ne serpat latius contagio eius malis nos æqui bonique facimus. De hac re vos consulo, staturus eo quod plures censueritis.

ORATIO ARISTHENI PRÆTORIS ACHÆORUM
de Ætolis & Nabide.

ARGUMENTVM.

Hoc ad proximū pertinet. Ætoli ad conciliū Græciæ conuenerāt, quorū princeps Alexāder quū audiret placere Atheniensibus vt Argi recuperatētur, ipse inter alia dixerat, quod ad eam deliberationē attinebat, deportādum esse in Italiā exercitum. Nā ipsum Nabin polliceri aut conditione, aut sua ipsius voluntate præsidium Argis deducturum. quod nisi faceret, Ætolos vi armisque facillē coacturos deduci. Hæc prætor audiebat Achæorum Aristhenus, qui ea vaniloquentia motus, exemplo in hæc verba prorupit,

NE istud Iupiter optimus maximus siuerit, Iunōq; regina, (cuius in tutela Argi sunt) vt illa ciuitas inter tyrannum Lacedæmonium & latrones Ætolos præmium sit posita in eo discrimine, vt miserius à nobis recipiatur quàm ab illo capta est. Mare interiectū ab istis prædonibus non tuetur nos, T. Quinti: quid, si in media Peloponneso arcem sibi fecerint, futurum nobis est: Linguam tantum Græcorum habēt, sicut speciem hominū: moribus ritibusque efferatioribus quàm vlli barbari, imò quàm rapacissimæ beluæ, vtuntur. Itaque vos rogamus, Romani, vt & ab Nabide Argos recuperetis, & ita res Græciæ constituatis, vt à latrocinio quoque Ætolorum satis pacata hæc relinquantis.

ORATIONES
ORATIO NABIDIS TYRANNI
Lacedæmoniorum ad T. Quintium.

ARGUMENTVM.

Nabis tyrannus Lacedæmonius quū maritimas omnes ciuitates à Romanis receptas primo statim aduētū cognouit, cedendū fortunæ ratīs, T. Quintiū ad colloquiū vocari iubet. Ad præstiturū diē prior ipse de tyrānide, aliūsq; quæ de ipso iactabātur, in hūc modū differuit,

SI ipse per me, T. Quinti, vósque qui adestis, causam excogitare cur mihi aut indixissetis bellum, aut inferretis, possem, tacitus euentum fortunæ meæ expectassem: nunc imperare animo nequiuī quin, priusquam perirem, cur periturus essem scirem. Et hercule si tales essetis quales esse Carthaginienfes fama est, apud quos nihil societatis fides sancti haberet, in me quoque vobis quid faceretis, minus pensi esse non mirarer: nunc vos quum intueor, Romanos esse video, qui rerum diuinarum fœdera, humanarum fidem socialem sanctissimam habeatis: quum me ipse respexi, eum esse spero, cui & publicè, sicut cæteris sanctissimam habeatis: quum me ipse respexi, eum esse spero, cui & publicè, sicut cæteris Lacedæmonius, vobiscum vetustissimum fœdus sit, & meo nomine priuatim amicitia ac societas nuper Philippi bello renouata. Atenim ego eam violauī & euerti, quòd Argiuorū ciuitatem teneo. Quomodo hoc tuear? re an tempore? Res mihi duplicem defensionē præbet. nam & ipsis vocantibus ac tradentibus urbem eam accepi, non occupauī: & accepi, quum Philippi partium, non in vestrā societate esset. Tempus autem eo me liberat, quòd quum iam Argos haberem, societas mihi vobiscum conuenit: & vt vobis mitterem ad bellum auxilia, non vt Argis præsidium deducerem, pepigistis. At hercule in ea controuersia quæ de Argis est, superior sum & æquitate rei, quòd nō vestrā urbem sed hostium, quòd volentem non vi coactam accepi: & vestrā confessione, quòd in conditionibus societatis mihi Argos reliquistis. Cæterum nomē tyrāni & facta me premunt, quòd seruos ad libertatem voco, quòd in agros inopem plebem deduco. De nomine hoc respondere possum, me, qualiscunque sum, eundē esse qui fui quum tu ipse mecum, T. Quinti, societatem pepigistis: tum me regem appellari à vobis memini, nunc tyrannum vocari video. Itaque si ego nomen imperii mutassem, mihi meæ inconstantia: quum vos mutetis, vobis vestræ reddenda ratio est. Quod ad multitudinem seruis liberatis auctā, & egentibus diuisum agrum attinet, possum quidem & in hoc me iure temporis tutari. nam feceram hæc, qualiacunque sunt, quū societatem mecum pepigistis, & auxilia in bello aduersus Philippum accepistis. Sed si nunc ea fecissem, non dico quid in eo vos læsissimam, aut vestrā amicitiam violassem: sed illud me more atque instituto maiorū fecisse. Nolite ad vestras leges atq; instituta exigere ea quæ Lacedæmone fiunt. nihil cōparare singula necesse est. vos à censu equitè, à censu peditem legitis: & paucos excellere opibus, plebem subiectā esse illis vultis: noster legumlator nō in paucorum manu remp. esse voluit, quem vos senatum appellatis: nec excellere vnum aut alterum ordinem in ciuitate, sed per æquationē fortunæ ac dignitatis, fore credidit vt multi essent qui arma pro patria ferret. Pluribus me peregrisse quàm pro patriæ fermone breuitatis, fateor: & breuiter peroratum esse potuit, nihil me, postea quā vobiscum amicitiam institui, cur eius vos poeniteret, commisisse.

ORATIO T. QUINTII QVA NABIDI RESPONDET.

AMicitia & societas nobis nulla tecum sed cum Pelope rege Lacedæmoniorum iusto ac legitimo facta est: cuius ius tyranni quoque qui postea per vim tenuerunt Lacedæmone imperium, quia nos bella nunc Punica, nunc Gallica, nunc alia ex aliis occupauerant, vsurparunt: sicut tu quoq; hoc Macedonico bello fecisti. Nam quid minus contineret quàm nos, qui pro libertate Græciæ aduersus Philippum gereremus bellū, cum tyranno instituire amicitiam, & eo tyranno, quàm qui vnquam fuit, sauisimo & violentissimo in suos? Nobis verò, etiam si Argos nec cepisses fraude, nec teneres, liberantibus omnem Græciam, Lacedæmon quoque vindicanda in antiquam libertatem erat, atque in leges suas, quarum modò, tanquam æmulus Lyeurgi, mentionem fecisti. An vt à Iaso & Bargyllis præsidia Philippi deducantur, curæ erit nobis: Argos & Lacedæmonem duas clarissimas vrbes, lumina quondam Græciæ, sub pedibus tuis relinquemus, quæ titulum nobis liberatæ Græciæ seruentes deformet? Atenim cum Philippo Argiuī miserunt.

Rei mittimus hoc tibi, ne nostram vicem irascaris: satis compertum habemus, duorum aut ad summū trium in ea re, nō ciuitatis culpam esse, tam hercle, quā in te tuoque praesidio accersendo accipiendōque in arcem, nihil sit publico consilio actum. Thessalos & Phocenses & Locrenses consensu omnium scimus partium Philippi fuisse: tamen quum ceterā liberauerimus Græciam, quid tandem censes in Argiuis, qui infantes publici consilii sint, facturos? Seruorum ad libertatem vocatorum, & egētibus hominibus agri diuisi crimina tibi obiici dicebas, non quidem nec ipsa mediocria: sed quid ista sunt praeter istas quae à te tuisque quotidie alia super alia facinora eduntur? Exhibe liberam cōcionem vel Argis vel Lacedaemone, si te audire iuuat vera dominationis impotētissimae crimina. Vt omnia alia ventustiora omittam: quā ceterā Argis Pythagoras iste gener tuus penē in oculis meis edidit: quā tu ipse, quum iam propē in finibus Lacedaemoniorum esset: Agedum, quos in concione comprehensos omnibus audientibus ciuibus tuis, in custodia te habiturum esse pronuntiasti, iube victos produci, vt miseri parentes, quos falsō lugent, viuere sciant. At enim vt iam ita sint haec, quid ad vos Romani? Hoc tu dicas liberantibus Græciam, hoc iis qui vt liberare possent, mare traiecerunt, terra marique gesserunt bellum? Vos tamen, inquis, vestramque amicitiam ac societatem propriē nō violauit. Quoties vis te id arguam fuisse? Sed nolo pluribus: summam rem complectar. Quibus igitur rebus amicitia violatur? Nempe his maximē duabus, si socios meos pro hostibus habeas, si cum hostibus te coniugas. Vtrunque à te factum est. nam & Messenem vno atque eodem iure foederis quo & Lacedaemonem, in amicitiam nostram acceptam, socius ipse sociam nobis urbē vi atque armis cepisti: & cum Philippo hoste nostro non societatem solum, sed (si diis placet) affinitatem etiam per Philoclem praefectum eius pepigisti: & bellum aduersum nos gerens, mare circa Maleam infestum nauibus piraticis fecisti: & plures propē ciues Romanos quā Philippus, cepisti atque occidisti: tutiorque Macedonia ora quā promontorium Maleae, comitatus ad exercitus nostros portantibus nauibus fuit. Proinde parce sic fidem ac iura societatis iactare: & omiſsa populari oratione, tanquam tyrannus & hosti loquere.

ORATIO T. QVINTII QVA SVOS AD
obsidionem Lacedaemonis adhortatur.

ARGVMENTVM.

Hoc cum prioribus duabus concionibus coniunctum est. Quum ita colloquuti essent, Nabis, Aristheno, vt dum liceret suis rebus consulere, orante, postero die se deducturū Argis (quādo ita Romanis placeret) praesidiū sponderat, simul & perfugas & captiuos redditurum, ac si quid aliud vellent, facturum. Interim ad bellum tantum Quintius animum intendebat: ac nihil dum eorum quae receperat Nabis, apparebat, quum sentientibus omnibus continuandum esse bellum, ipse vnus per simulationem difficultatem obsidionis Lacedaemonis, quod se Nabis ex colloquio receperat, causando, etiam tum à bello militum animos auerrere conabatur. Vbi simulatione illa in dies militum animos (quod vnum agebat) magis accendi ac crescere vidit, repente in haec verba ad obsidionem adhortatus est,

Bene vertat: obsideamus Lacedaemonem, quando ita placet. Ceterum quum res tam lenta quā ipsi scitis, oppugnationis urbium sit, & obsidētibus prius saepe quā obsessis tedium afferat: iam nunc hoc ita proponere vos animis oportet, hibernandum circa Lacedaemonis moenia esse. Quae mora si laborem tantum ac periculum haberet, vt & animis & corporibus ad sustinēda ea parati essetis, hortarer vos: nunc impensa quoque magna eget, in opera, in machinationes & tormenta quibus tanta vrbs oppugnanda est, in comitatus nobis vobisque in hyemem expediendos. Itaque ne aut repente trepidetis, aut rem inchoatam turpiter destituatis, scribendum antē vestris ciuitatibus censeo, explorandumque quid quaeque animi, quid virium habeat. Auxiliorum satis superque habeo: sed quo plures sumus, pluribus rebus egebimus. Nihil iam praeter nudum solum ager hostium habet: ad hoc hyems accedit, ad comportandum ex longinquo difficilis.

ORATIO MINIONIS AD LEGA-
tos Romanorum.

ARGVMENTVM.

Legati Romani P. Sulpitius & P. Iulius missi ad Eumenē primū, deinde ad Antiochū,

si expositis senatus mandatis Eumeni, Ephesum ad Antiochum veniunt. Fortè per eos dies filii Antiochi morte primùm nūtiata, factum erat vt clausa regia, omnes in luctu essent. Legatus alter (nā Sulpitius æger Pergami substiterat) eo publico luctu, non fore ratus vt latis animis audiretur, Pergamum auertit iter. Paucis diebus luctu finito, Antiochus iam satis doctus quid ad se veniret legati, cum vno Minio principe amicorum consilia communicebat. Fugiebat atque detrectabat modis omnibus cum legatis colloquium: ac futurum erat vt nec admitteret legatos, si rediret vtrò, nec accerseret diutius commoratos, nisi Minio ipse causam totam susceptam eius commodo cum legatis se acturum recepisset. Accitis itaque legatis, Minio ipse absente Antiocho ita loquutus est. Legati deinde responderunt.

Specioso titulo vti vos, Romani, Græcarum ciuitatum liberandarum video: sed facta vestra orationi non conueniunt: & aliud Antiocho iuris statuistis, alio ipsi vtimini. Quis enim magis Smyrnæi, Lampfacenique Græci sunt, quàm Neapolitani & Rhegini & Tarentini, à quibus stipendium, à quibus naues ex fœdere exigitis? Cur Syracusas atque in alias Siciliae Græcas vrbes prætorem quotannis cum imperio & virgis & securibus mittitis? Nihil aliud profectò dicatis quàm armis superatis vos iis has leges imposuisse. Eandem de Smyrna & Lampfaco, ciuitatibusque quæ Ionix aut AEolidis sunt, causam ab Antiocho accipite. Bello superatas à maioribus, & stipendiarias ac vectigales factas, in antiquum ius repetit. Itaque ad hæc ei responderi velim, si ex æquo disceptatur, & non belli causa quaritur.

O R A T I O S V L P I T I I L E G A T I R O M A N O R V M
qua ad præcedentem responderet.

Fecit verecundè Antiochus, qui, si alia pro causa eius non erant quæ diceretur, quemlibet ista quàm se dicere maluit. Quid enim simile habet ciuitatum earum quas comparasti, causa? Ab Rheginis & Neapolitanis & Tarentinis, ex quo in nostram venerunt potestatem, vno & perpetuo tenore iuris semper vsurpato, nunquam intermisso, quæ ex fœdere debent exigimus. Potèstne tandem dicere vt ii populi non per se, non per aliū quèquam fœdus mutauerint: sic Asiae ciuitates, vt semel venerunt in maiorum Antiochi potestatem, in perpetua possessione regni vestri permansisse? & non alias earum in Philippi, alias in Ptolemæi fuisse potestate: alias per multos annos nullo ambigente libertatem vsurpassè? Nam si, quòd aliquando seruiuerunt temporum iniquitate pressi, ius post tot secula asserendi eos in seruitutem faciet: quid abest quin actum nobis nihil sit, quòd à Philippo liberauimus Græciam: & repetant posteri eius Corinthū, Chalcidem, Demetriadem, & Thessalorum totam gentem? Sed quid ego causam ciuitatum ago, quam ipsis agentibus & nos & regem ipsum cognoscere æquius est?

O R A T I O A N N I B A L I S A D A N T I O C H V M Q V A
se purgat.

A R G V M E N T V M.

Pertinet hoc ad conciones superiores duas. His inuicem iactis, legati earū ipsarum ciuitatū de quibus Sulpitius meminerat, quum introducti nunc suas quisque querelas, nunc expositulaciones interferebant, re infecta dimissi sunt. Exinde consilium inibat Antiochus belli aduersus Romanos suscipiendi. In id consilium fortè Annibal adhibitus non erat, propter colloquia cum Iulio legato altero Romanorum, suspectus. Percontratus itaque alienationis, & iracundiæ regis in se causam, quum ex colloquiis id natum acciperet, occasionem modò se regi purgandi quærebat. Ac eam tandem nactus, ita se regi purgavit,

Pater Amilcar, Antioche, paruum admodum me, quum sacrificaret, altaribus admotū iureiurando adegit, nunquam amicum fore populi Romani. Sub hoc sacramento sex & triginta annos militaui: hoc me in pace patria mea expulit, hoc patria extorré in tuam regiam adduxit: hoc duce, si tu spè meam destitueris, vbicunque vires, vbi arma esse sciam, inueniam toto orbe terrarum quærens aliquos Romanis hostes. Itaque si quibus tuorum meis criminibus apud te crescere licet, aliam materiam crescèdi ex me quærant. Odiòque sum Romanis: id me verū dicere, pater Amilcar & dii testes sunt, proinde quum de bello Romano cogitabis, inter primos amicos Annibalem habeto: si qua res te ad pacem com-pellet, in id consilium alium cum quo deliberes quærito.

Ex tricesimosexto libro ab vrbe condita.

ORATIO ANNIBALIS IN CONCILIO

Antiochi, de totius belli ratione & Macedonibus
sententia.

ARGVMENTVM.

Antiochus Annibalem in consilium adhibere non solebat, etiamsi oratione ea qua se Annibal purgauit, regem sibi reconciliaffet. Fortè in id adhibitus quo de Thessalis consultabatur, quum aliud alii sentirent, nominatim rogatus sententiam, ita consilium suum de Macedonibus & Philippo in amicitiam deducendis, totiusque belli ratione, exposuit.

Sex quo traiecimus in Græciam, adhibitus essem in consilium, quum de Eubœa, de Achæis, deque Bœotia agebatur, eandem sententiam dixissem quam hodie quum de Thessalis agitur, dicam. Ante omnia Philippum & Macedonas in societatem belli quacunque ratione censeo deducendos esse. Nam quod ad Eubœam Bœotôsque & Thessalos attinet, cui dubium est quin, vt quibus nullæ suæ vires sint, præsentibus adulâdo semper, quem metum in consilio habeant, eodem ad impetrandam veniam vtantur? simul ac Romanum exercitum in Græcia viderint, ad consuetum imperium se auertant? nec iis noxæ futurum sit quòd quum Romani procul abessent, vim tuâ præsentis exercitûsque tui experiri noluerint? Quanto igitur prius potiûsque est Philippû nobis cõiungere quàm hos: cui, si semel in causam descenderit, nihil integri futurû sit, quique eas vires afferat quæ non accessio tantum ad Romanum esse bellum, sed per se ipsæ nuper sustinere potuerint Romanos? Hoc ego adiuncto (absit verbo inuidia) quid dubitare de euentu possim, quum quibus aduersus Philippum valuerint Romani, iis nunc fore videam vt ipsi oppugnentur? A Etoli qui Philippum (quod inter omnes cõstat) vicerunt, cum Philippo aduersus Romanos pugnabunt: Aminander atque Athamanum gens, quorum secundum A Etolos plurima fuit opera in eo bello, nobiscum stabunt. Philippus tum te quieto totam molem sustinebat belli: nunc duo maximi reges, Asiæ Europæque viribus aduersus vnû populum, vt meam vtanque fortunam taceam, patrum certè ætate ne vni quidem Epirotarum regi parem, quicquid tandem erit vobiscum comparatus, geretis bellum. Quæ igitur res mihi fiduciam præbet coniungi nobis Philippum posse? Vna communis vilitas, quæ societatis maximum vinculum est: altera, autores vos A Etoli. Vester enim legatus hic Thoas inter cætera quæ ad exciendum in Græciam Antiochum dicere est solitus, ante omnia hoc semper affirmavit, fremere Philippum & ægrè pati sub specie pacis leges feruituris sibi impositas. Ille quidem, vt feræ bestię vincitæ aut clausæ, & refringere claustra cupientes, regis iram verbis æquabat: cuius si talis animus est, soluamus nos eius vincula & claustra refringamus, vt erumpere diu coercita ira in hostes communes possit. Quòd si nihil eum legatio nostra mouerit: at nos, quoniam cum nobis adiungere non possumus, ne hostibus nostris ille adiungi possit caueamus. Seleucus filius tuus Lysimachiæ est: qui si eo exercitu quem secum habet, per Thraciam proxima Macedoniæ cœperit depopulari, facilè ab auxilio ferendo Romanis Philippum ad sua potissimum tuenda auertet. De Philippo sententiam meam habes: de ratione vniuersi belli quid sentirem, iam ab initio non ignorasti. Quòd si tum auditus forem, non in Eubœa Chalcidem captam, & castellum Euripi expugnatum Romani, sed Erruriam, Ligurumque & Galliæ Cisalpinæ oram bello ardere, & (qui maximus iis terror est) Annibalem in Italia esse audirent. Nunc quoque accersas censeo omnes nauales terrestresque copias, sequantur classem onerariæ cum com meatibus. Nam hîc sicut ad bellum munera pauci sumus, sic nimis multi pro inopia com meatuum. Quum tuas omnes contraxeris vires, diuisam classem partim Coreyæ in statione habebis, ne transitus Romanis liber ac tutus pateat: partim ad littus Italiæ quod Sardiniam Africamque spectat, traicies: ipse curi omnibus terrestribus cœpiis in Byllinum agrum procedes: inde Græciæ præsidebis, & speciem Romanis traiecurum te præbens, & si res poposcerit, traiecurus. Hæc suadeo, qui vt non omniperitissimus firmi belli, cum Romanis certè bellare bonis malisque meis iudici. In quæ consilium dedi, in eadem nec infidelem nec segnem operam polliceor. Dii approbent eam sententiam quæ tibi optima visa fuerit.

ORATIO ATTILII CONSVLIS
ad suos.

ARGVMENTVM.

Attilius consul depopulatus Hypatensem Heracleensemque agrum, in faucibus ad Thermopylas, vbi rex Antiochus erat, castra locauerat. Quod vbi regi allatum est, veritus ipse ne quam viam per iuga imminetia Romani ad transitum inuenirent, Aetolis Heracleam mandat, occuparent ea ipsa cacumina, ne qua Romanus transire posset. Ita vt iussit rex, Aetoli ad occupandum contendunt. Consul ea re cognita, eodem aduersus Aetolos missis legionibus, ipse priusquam in hostem copias educeret, ita militum animos confirmavit,

Plerosque omnium ordinum milites inter vos esse video, qui in hac eadem prouincia **T**. Quintii ductu auspicioque militaueritis. Macedonico bello inexuperabilis magis saltus ad amnem Aoum fuit quam hic: quippe portae sunt haec, & vnus inter duo maria clausis omnibus velut naturalis transitus est. munitiones & locis opportunioribus tunc fuerunt & validiores impositae, exercitus hostium ille & numero maior, & militum genere aliquanto melior: Quippe illic Macedones Thracensesque & Illyrii erant, ferocissimae omnes gentes: hic Syri & Asiatici Graeci sunt, leuissima genera hominum & seruituti nata. Rex ille bellicosissimus, exercitatus iam inde a iuuenta finitimis Thracum atque Illyriorum & circa omnium accolarum bellis: hic (vt omnem aliam vitam omittam) is est qui quum ad inferendum populo Rom. bellum ex Asia in Europam transisset, nihil memorabilius toto tempore hybernorum gesserit, quam quod amoris causa, ex domo priuata & obscuri etiam inter populares generis vxorem duxit, & nouus maritus, velut saginatus nuptialibus coenis, ad pugnam processit. Summa virium speique eius in Aetolis fuit, gente vanissima & ingratiissima, vt vos prius experti estis, nunc Antiochus experitur. Nam nec conuenerunt frequentes, nec contineri in castris potuerunt: & in seditione ipsi inter se sunt, & quum Heracleam tuendam Hypatamque depoposcissent, neutram tutati, pars refugerunt in iuga montium, pars Heracleae incluserunt sese. Rex ipse confessus nusquam a quo campo non modo congrederi se ad pugnam audere, sed ne castra quidem in aperto ponere: relicta omni ante se regione ea quam se nobis ac Philippo ademisse gloriabatur, condidit se intra rupes, ne ante fauces quidem saltus, (vt quondam Lacedaemonios fama est) sed intra penitus retractis castris. Quod quantum interest, ad timorem ostendendum, an muris alicuius vrbis obsidendum sese incluserit: Sed neque Antiochum tuebuntur angustiae, nec Aetolos vertices illi quos ceperunt: satis vndique prouisum atque praecautum est ne quid aduersus vos in pugna praeter hostes esset. Illud proponere animo vestro debetis, non vos pro Graeciae libertate tantum dimicare (quanquam is quoque egregius titulus esset, liberatam a Philippo antea, nunc ab Aetolis & ab Antiocho liberare) nec ea tantum in praemium vestrum cessura, quae nunc in regis castris sunt: sed illum quoque omnem apparatus qui in dies ab Epheso expectatur, praedae futurum: Asiam deinde, Syriamque, & omnia usque ad ortus solis ditissima regna imperio Romano aperturos. Quid deinde aberit quin ab Gadibus ad mare rubrum oceano fines terminemus, qui orbem terrarum amplexu finit: & omne humanum genus secundum deos nomen Romanum veneretur? In hac tanta praemia dignos parate animos, vt crastino die bene iuuantibus diis acie decernamus.

ORATIO T. QVINTII AD ACHAEOS
de Zacyntho.

ARGVMENTVM.

Zacynthus insula erat, quam Hiero Agrigentinus, Aminandri, cuius in possessione erat, praefectus, postquam dominum a Philippo Megalopolitano Athamania pulsum audiuit, pecunia pacta Achaeis tradiderat. T. Quintius hac re cognita concilium Achaeorum edicit, vbi de Zacyntho ageretur. Ad diem praestitutum Romani insulam vt suam repetebant. Diaphanes concilio praetor Achaeorum, suae ditionis esse iureque a se possideri contendebat. Achaei multi eam iam ab initio se aspernatos esse testabantur: quod magis praetoris pertinaciam admirari non desistebant. In tanta opinionum varietate res tota T. Quintii permissa est arbitrio, qui quod velit nunc exponit.

Si vtilem possessionem eius insulæ censerem Achæis esse, autor essem senatui populoque Romano ut eam vos habere sinerent. Cæterum sicut testudinem, ubi collecta in suum tegumē est, tutam ad omnes ictus video esse: ubi exierit partes aliquas, quodcumque nudavit, obnoxium atque infirmum habere: haud dissimiliter vos, Achæi, elausos vndique mari, quæ intra Peloponnesi sint terminos, ea & iungere vobis, & iuncta tueri facile: simul auiditate plura amplectendi hinc excedatis, nuda vobis omnia quæ extrâ sint, & exposita ad omnes ictus esse.

ORATIO QUINTII AD M. ACILIVM consulem pro AEtolis.

ARGVMENTVM.

M. Acilius, quum delatis pacis conditionibus, Aetolos Naupactum ad sustinendam totam belli molem cõfugisse comperisset, tum demum vi atque armis agendum esse cum iis ratus, urbem ipsam obsidere cõpit. In castra eo ipso tempore T. Quintius ex concilio Achaico redierat: qui quum ex composito muros obambulet, ut ab Aetolis ipsis nosceretur, omnes extemplo nomine eum inclamabāt, orabantque ut se servare vellet. Movit ea vox Quintiū, qui in castra descendens, ita M. Acilium monuit ut soluta obsidione aliò transferret bellū.

Vtrum fallit te, M. Acili, quid agatur? an quum satis provideas, nihil id magnopere ad summam Reipub. pertinere censes? *Exerat expectatione consulem.* Et quin ex promissis, inquit Acilius, quid rei sit? Tum Quintius, Ecquid vides te devictō Antiocho in duabus urbibus oppugnandis tempus terere, quum iam propè annus circumactus sit imperii tui? Philippum autem, qui non aciem, non signa hostium vidit, non solum vrbes, sed tot iam gentes, Athamaniam, Perrhæbiam, Aperantiam, Dolopiam sibi adiunxisse? Atqui non tantum interest nostra AEtolorum opes ac vires minui, quantum nō supra modum Philippum crescere, & victoriæ tuæ præmium te militēsque tuos nondum tot vrbes, quot Philippum gentes Græciæ habere.

ORATIO T. QUINTII AD AETOLIVM principes de reconciliacione.

ARGVMENTVM.

Cognitio huius à superiore petenda oratione. M. Acilius consul verbis T. Quintii motus, totam ipsi rem permiserat. Itaque rursus obambulare circa eandem partem maris, circa quæ paulo antè vociferati erant Aetoli, pergit. Ubi quum eum rursus Aetoli animadvertent, impensius orabant ut sui miseretur. Tum egredi aliquot ad se iubet, quibus ad pedes provolutis, quid ipse vellet, ita exposuit,

Fortuna vestra facit ut & iræ meæ & orationi temperē. evenerunt quæ prædixi eventura: & ne hoc quidem reliqui vobis est ut indignis accidisse ea videantur. Ego tamen sorte quadam nutriendæ Græciæ datus, ne ingratis quidem benefacere abstistam. Mittere oratores ad consulem, qui inducias tantum temporis petant, ut mittere legatos Romanam possitis, per quos senatui de vobis permittatis. Ego apud consulem deprecator defensorque vobis adero.

Ex tricesimo septimo libro ab vrbe condita.

ORATIO EVMENIS IN CONCILIO.

ARGVMENTVM.

L. Emilio prætori inter provinciās decernēdas classiis Romanā decreta erat. Eum quū Samo Eleam, ut regi Eumeni opē ferret, cū classe Romanā venisse Antiochus audiret, Publiūmque Scipionem consulē iam in Macedonia cū exercitu esse: de pace agendi tēpus venisse ratus, caduceatorem ad AEmilium misit, qui de pace se agere velle nuntiaret. Tum conciliū hac de re AEmilius edicit: in quo quū de re ipsa referret, Rhodii quidē rogati sententiā, cēsebant pacem esse faciendā: cæterum Eumenes contrā sentiebat. quam sententiā ita peregit,

Qui enim aut honestè inclusi mœnibus, & obsessi velut leges pacis, accipiemus? aut cui rata ista pax erit, quam sine consule, non ex autoritate senatus, non iussu populi Rom. peregerimus? Quæro enim, pace per te facta, rediturusne extemplo in Italiam sis, classē exercitūque deducturus: an expectaturus quid de ea re consuli placeat, quid senatus censeat, quid populus iubeat. Restat ergo ut maneat in Asia, & rursus in

hyberna copia reducta, omisso ibi bello exhauriant com meatibus præbendis socios: deinde, si ita visum sit iis penes quos potestas fuerit, instauremus nouum de integro bellum: quod possumus, si ex hoc impetu rerum nihil prolatado remittitur, ante hyemem diu volentibus perfecisse.

ORATIO SCIPIONIS QVA LEGATIS tos Antiochi respondet.

ARGUMENTVM.

Heraclides Byzantius ab Antiocho missus de pace legatus, P. Scipioni inter cæteras conditiones eam quoque detulerat, Antiochum paratum esse restituere Romanis quasunque in Asia teneret vrbes, dimidiãque partem impensarum in bellum factarũ præstare. Eas Romanis non placere videns, priuatim Scipionem alloquitur, sicuti mandatum ipsi erat, fore, si conditiones acciperet, vt Antiochus ipsi filium etiam sine pretio redderet: magnum deinde auri pondus pollicitus, in societatem regni eum venturum professus est, si pacem fecisset. Nunc Scipio respondet,

Quod Romanos omnes, quod me, ad quem missus es, ignoras, minus miror, quam te fortunam eius à quo venis, ignorare cernam. Lysimachia tenenda erat, ne Chersonesum intraremus: aut ad Hellestorum obsistendum, ne in Asiam traiceremus, si pacem tanquam à sollicitis de belli euentu petitori eratis. Concesso verò in Asiam transitu, & non solum frenis, sed etiam iugo accepto, quæ disceptatio ex æquo, quam imperium patiendum sit, relicta est: Ego ex munificentia regia, maximum donum filium habebō: aliis deos precor ne vnquam fortuna egeat mea, animus cerè non egebit. Pro tanto in me munere gratum me esse in se sentiet, si priuatã gratiam pro priuato beneficio desiderabit: sed publicè nec habebō quicquam ab illo, nec dabo. Quod in præsentia dare possim, fidele consilium est: abi, nuntia meis verbis, bello absistat, pacis conditionem nullam recuset.

ORATIO ZEVSIS LEGATI ANTIOCHI

ad Romanos de pace.

ARGUMENTVM.

Antiochus eo prælio quod aduersus Romanos ad Phrygium flumẽ commisit, fuga sibi salutem querere coactus erat. Ex ea fuga nocte Sardis primũ, deinde Apameam se recepit: vbi de pace agendum esse, vt in tam aduersis rebus, in animum inducens, legatos ad consulem de ea re mittit. Dato concilio Zevis legatorum princeps ita causam egit,

Non tam quid ipsi dicamus, habemus, quam vt à vobis quæramus, Romani, quo piaculo ex piare errorem regis, pacem veniãque impetrare à victoribus possimus. Maximo semper animo victis regibus populisque ignouistis? quanto id maiore & placatiore animo decet vos facere in hac victoria, quæ vos dominos orbis terrarum fecit? Positis iam aduersus omnes mortales certaminibus, haud secus quam deos consulere & parcere vos generi humano oportet.

ORATIO SCIPIONIS

ad ea respondentis.

Romani ex iis quæ in deũ immortalium potestate erant, ea habemus quæ dii derunt: animos, qui nostræ mentis sunt, eosdem in omni fortuna gessimus gerimusque: neque eos secundæ res extulerunt, nec aduersæ minuerunt. Eius rei (vt alios omnittã) Annibalem vestrũ vobis darem testẽ, nisi vos ipsos dare possem. Posteaquã Hellestorum traiecimur, priusquã castra regia, priusquam aciem videremus, quũ cõmunis mars & incertus belli euentus esset, de pace vobis agentibus, quas pares paribus ferebamus conditiones, easdem nunc victores victis ferimus. Europa abstinete, Asiãque omni quæ cis Taurum montem est, decedite: pro impensis deinde in bellũ factis, xv milia talentum Euboicorũ dabitur: quingenta præsentia, duo millia & quingenta quũ senatus populisque Romacẽ cõprobaue. int: mille deinde talentum per xii annos. Eumeni quoq; reddi cccc talenta, & quod frumẽ reliquũ ex eo quod patri debitũ est, placet. Hæc quũ pepigerimus, facturos vos vt pro certo habeamus, erit quidem aliquod pignus, si obsides viginti nostro arbitratu dabitur: sed ni quã satis liquebit nobis, ibi pacẽ esse populo Rom. vbi Annibal erit. eũ ante omnia deposcimus. Thoantẽ quoque Aetolũ cõcitatore Aetolici belli, qui & illorũ fiducia vos, & vestra illos in nos armauit, dedetis, & cum eo Mnafymmachũ Acarnanẽ,

& Chalcidenses Philonem & Ebulidā. In deteriore sua fortuna pacem faciet rex, quia se-
rius facit quā facere potuit, si nunc remoratus fuerit, sciat regum maiestatem diffici-
lius ab summo fastigio ad medium detrahi, quā à mediis ad ima præcipitari.

ORATIO EUMENIS IN SENATV.

ARGVMENTVM.

Delatis Antiocho Asiatico regi pacis conditionibus, Eumenes rex Romā proficiscitur:
quem sequuntur Rhodiorum, Antiochi, aliorūque Asiaticorum populorum legatio-
nes. Ipse Eumenes, atque Rhodii in id vnum venerunt, vt pro impensis atque laboribus in
bella Romanorum exhaustis dignum aliquod præmium acciperent. Eumeni primū se-
natus datus. Ibi quum merita primò Romanorum erga se exposuisset, gratulatusque ipsis
esset victoriam, pudore atque verecundia prohibitus, merita sua in eos malle se ex im-
peratoribus cognosci, quā se referente, dicebat. Iustus referre, quum se verecundia prohi-
beri testaretur, vererique nequid aut immoderatè cupisse, aut immodicè petisse videretur,
egredi templo cœpit. Reuocatus, & merita sua, & quod ob ea præmium sibi dari opta-
ret, expromere cogitur. Ita victus rem in hæc verba demonstravit,

Perseuerassem tacere, p. c. nisi Rhodiorum legationem mox vocaturos vos scirem, &
illis auditis mihi necessitatē fore dicēdi: quæ quidem eo difficilior oratio erit, quòd ea
postulata eorum futura sunt, vt non solum nihil quod contra me sit, sed ne quod ad ipsos
quidem propriè pertineat, petere videantur. Agent enim causam ciuitatum Græcarum, &
liberari eas dicent debere. quo impetrato, cui dubium est quin & à nobis auersuri sint non
eas modò ciuitates quæ liberabuntur, sed etiam veteres stipendiarias nostras: sibi autē tan-
to obligatos beneficio, verbo socios, re vera subiectos imperio & obnoxios habituri sint?
Et (si diis placet) quum has tantas opes affectabunt, dissimulabunt vlla parte id ad se per-
tinere: vos modò id decere, & conueniens esse antefactis dicent. Hæc vos ne decipiat ora-
tio, prouidendum vobis erit, neve non solum inæqualiter alios nimium deprimatis ex so-
ciis vestris, alios præter modum extollatis: sed etiam ne, qui aduersus vos arma tulerint, in
meliore statu sint quā socii & amici vestri. Quod ad me attinet, in aliis rebus cessisse in-
tra finem iuris mei cuiuslibet videri malim, quā nimis pertinaciter in obtinendo eo te-
tendisse. In certamine autem amicitia vestra, benevolentia erga vos, honoris, qui à vo-
bis habebitur, minimè æquo animo vinci possum. Hanc ego maximam hæreditatem à
patre accepi, qui primus omnium Asiam Græciamque incolentium in amicitiam ve-
stram venit, eamque perpetua & constanti fide ad extremum finem vitæ perduxit: nec a-
nimum duntaxat vobis bonum ac fidelem præstitit, sed omnibus interfuit bellis quæ in
Græcia gessistis, terrestribus naualibusque: omni genere commeatuum, ita vt nemo
sociorum vestrorum æquari vlla parte possit, vos adiuuit. Postremò quum Bœotos ad so-
cietatem vestram hortaretur, in ipsa concione intermortuus, haud multo post expirauit.
Huius ego vestigia ingressus, voluntati quidem & studio in colendis vobis adiicere (et-
enim inexuperabilia hæc erant) nihil potui: rebus ipsis, meritisque, & impensis officio-
rum vt superare possem, fortuna, tempora, Antiochus, & bellum in Asia gestum, præbue-
runt materiam. Rex Asia & partis Europæ Antiochus filiam suam in matrimonium mi-
hi dabat, restituebat extemplo ciuitates quæ defecerant à nobis, spem magnam in poste-
rum amplificandi regni faciebat, si secum aduersus vos bellum gessissem. Non gloriabor
eo quòd nihil in vos deliquerim: illa potius, quæ vetustissima domus nostræ vobiscum a-
micitia digna sunt, referam. Terrestribus naualibusque copiis, vt nemo vestrorum socio-
rum me æquiparare posset, imperatores vestros adiuui: commeatu terra marique suppe-
ditauit: naualibus præliis, quæ multis locis facta sunt, omnibus affui: nec labori meo
nec periculo vsquam peperci: quod miserrimum est in bello, obsidionem passus sum,
Pergami inclusus cum discrimine vltimo simul vitæ regni que. Liberatus deinde obsidio-
ne, quum alia parte Antiochus, alia Seleucus circa arcem regni mei castra haberent: reli-
ctis rebus meis, tota classe ad Hellespontum L. Scipioni consuli vestro occurri, vt eum in
traiciendo exercitu adiuuarem. Posteaquam in Asiam exercitus vester est transgressus,
nunquam à consule abcessi: nemo miles Romanus magis assiduus in castris vestris fuit,
quā ego fratresque mei. Nulla expeditio, nullum equestre prælium sine me factum est:
in acie vbi steti, eam partem sum tutatus in qua me consul esse voluit. Non sum hoc di-
cturus, p. c. quis hoc bello meritis erga vos mecum comparari potest? Ego nulli omnium

neque populorum neque regum quos in magno honore habetis, non ausim me cōparare. Masinissa hostis vobis antequam socius fuit, nec incolumi regno cum auxiliis suis, sed extorris, expulsus, amissis omnibus copiis, cum turma equitum in castra confugit vestra: tamen eum, quia in Africa aduersus Syphacem & Carthaginenses fideliter atque impigrè vobiscum stetit, non in patrium solum regnum restituitis, sed adiecta opulentissima parte Syphacis regni, præpotentem inter Africæ reges fecistis. Quo tandem igitur nos præmio atque honore digni apud vos sumus, qui nunquam hostes, semper socii fuimus? Pater, ego, fratresque mei non in Asia tantum, sed etiam procul ab domo in Peloponneso, in Bœotia, in Aetolia, Philippi, Antiochi, Aetolico bello terra marique pro vobis armatulumus. Quid ergo postulas? dicat aliquis. Ego, p. c. quoniam dicere utique volentibus vobis parendum est: si vos ea mente vltra Tauri iuga Antiochum eiecistis, ut ipsi tenerent eas terras: nullos accolas nec finitimos habere quam vos malo, nec vlla alia re tutius stabiliusque regnum meum futurum spero: sed si vobis decedere inde, atque exercitus deducere in animo est: neminem digniorè esse ex sociis vestris qui bello à vobis parta possideat, quam me, dicere ausim. Atenim magnificum est liberare ciuitates seruas. Ita opinor, si nihil hostile aduersus vos fecerunt: sin autem Antiochi partis fuerunt, quanto est vestra prudentia & æquitate dignius, sociis benemeritis quam hostibus vos consulere?

ORATIO RHODIORVM IN SENATV.

Nihil nobis tota nostra actione, p. c. neque difficilius neque molestius est, quam quòd cum Eumene nobis disceptatio est: cum quo vno maximè regum & priuatum singulis, & (quod magis nos mouet) publicum ciuitati nostræ hospitium est. Cæterum non animi nostri, p. c. nos, sed rerum natura, quæ potentissima est, disiungit: ut nos liberi, etiam aliorum libertatis causam agamus, reges serua omnia & subiecta imperio suo esse velint. Vt cunque tamen res se habet, magis verecundia nostra aduersus regem nobis obstat, quam ipsa disceptatio aut nobis impedita est, aut vobis perplexam deliberationem præbitura videtur. Nam si aliter socio atque amico regi & benemerito, hoc ipso in bello de cuius præmiis agitur, honos haberi nullus posset, nisi liberas ciuitates ei in seruitutem traderetis: esset deliberatio anceps, ne aut regem amicum inhonoratum dimitteretis, aut decederetis instituto vestro, & gloriam Philippi bello partam, nunc seruitute tot ciuitatum deformaretis. Sed ab hac necessitate aut gratiæ in amicum imminuendæ, aut gloriæ vestræ, egregiè vos fortuna vindicat. Est enim deum benignitate non gloriosa magis quam diues victoria vestra, quæ vos faciliè isto velut ære alieno exoluat. Nam & Lycaonia & Phrygia vtraque, & Pisidia omnis & Chersonesus, quæque circumiacent Europæ, in vestra sunt potestate: quarum vna quælibet regi adiecta, multiplicare regnum Eumenis potest: omnes vero datæ, maximis cum regibus æquare. Licet ergo vobis & præmiis belli ditare socios, & non decedere instituto vestro. Debetis etiam meminisse quem titulum præcederitis prius aduersus Philippum, nunc aduersus Antiochum, belli: quid feceritis Philippo victo, quid nunc à nobis, non magis quia fecistis, quam quia id vos facere decet, desideretur atque expectetur. Alia enim aliis & honesta & probabilis est causa armorum. Illi agrum, hi vicos, hi oppida, hi portus, oramque aliquam maris ut possideant: vos nec cupistis hæc, antequam haberetis, nec nunc, quum orbis terrarum in ditione vestra sit, cupere potestis. Pro dignitate & gloria apud omne genus humanum, quod vestrum nomen imperiumque iuxta ac deos immortales iam pridem intuetur, pugnantis: quæ parare & quærere arduum fuit, nescio an tueri difficilius sit. Gentis nobilissimæ vetustissimæque vel fama rerum gestarum, vel omni cōmendatione humanitatis doctrinarumque, tuendam ab seruitio regio libertatè suscepistis. Hoc patrociniū receptæ in fidem & clientelam vestram vniuersæ gentis perpetuum vos præstare decet. Non quæ in solo modo antiquo sunt, Græciæ magis vrbes sunt, quam coloniæ earum, illinc quondam præfectæ in Asiam: nec terra mutata mutauit genus aut mores. Certare pro certamine cuiuslibet bonæ artis ac virtutis ausi sumus cum parentibus quæque ciuitas & conditoribus suis. Adistis Græciæ, adistis Asiæ vrbes plerique: nisi quòd longius à vobis absumus, nulla vincimur alia re. Massilienses, quos, si natura insita velut ingenio terræ vinci posset, iam pridem efferassent tot indomitæ circumfusæ gentes: in eo honore, in ea merito dignitate audimus apud vos esse ac si mediū vmbilicū Græciæ incolerent. Non enim sonum modo linguæ, vestitumque & habitum, sed ante omnia mores & leges & ingenium sincerum integrumque à cō-

tagione accolarum seruauerunt. Terminus est nunc imperii vestri mons Taurus: quicquid intra eum cardinem est, nihil longinquū vobis videri debet: quò arma vestra peruenierūt, eòdem ius hinc profectum perueniat. Barbari, quibus pro legibus semper dominorū imperia fuerunt, quo gaudent, reges habeant: Græci suam fortunam, vestros animos gerunt: domesticis quondam viribus etiam imperium amplectebantur: nunc imperium vbi est, ibi vt sit perpetuum optant: libertatem vestris tueri armis satis habent, quoniam suis non possunt. Atenim quædam ciuitates cum Antiocho senserunt, & aliæ prius cum Philippo, & cum Pyrrho Tarenti. ni ne alios populos enumerem, Carthago libera cum suis legibus est. Huic vestro exemplo quantum debeatis videte p. c. ne inducatis in animum negare Eumenis cupiditati quod iustissimæ iræ vestræ negastis. Rhodii & in hoc & in omnibus bellis quæ in illa ora gessistis quàm forti fidelique opera vos adiuuerimus, vestro iudicio relinquimus. Nunc in pace id consilium afferimus, quod si comprobaueritis, magnificentius vos victoria vsos esse quàm vicisse, omnes existimaturi sunt.

Ex tricesimo octauo libro ab vrbe condita.

ORATIO CN. MANLI CONS. QVA SVOS ADHORTATVR.

ARGVMENTVM.

Galli, ducibus Leonorio ac Lutario, in Asiam regiones omnes quacunque ibant delibando, vestigalesque faciendo, penetrauerant, mixtique cum Græcis iam Gallogræcorum nomen sibi imposuerant: cum iis hostibus Cn. Manlius congregiendum esse animo suo proponens, quòd Antiochum in bello adiuuissent: ne fama eius gentis belligerandi deteriti milites, aut minus acriter pugnarent, aut certamen detrectarent, priusquam in aciem educerentur, ita eorum animos preparauit,

Non me præterit, milites, omnium quæ Asiam colunt gentium, Gallos fama belli præstare: inter mitissimum genus hominum, ferox natio peruagata bello, propè orbem terrarū sedem cepit. procera corpora, promissæ & rutilatæ comæ, vasta scuta, prælongi gladii, ad hæc ineuntium prælium cantus, & vlulatus, & tripudia, & quatientium scuta in patrium quendam morem horrendus armorum crepitus, omnia de industria composita ad terrorem. Sed hæc quibus insolita atque infueta sunt, Græci, Phryges & Cares timeant: Romanis Gallici tumultus assuetis etiam vanitates notæ sunt. Semel primo congressu ad Alliam olim fuderunt maiores nostros: eos ex eo tempore per ducentos iam annos pecorum in modum consternatos cædunt fugantque, & plures propè de Gallis triumphum quàm de toto orbe terrarum acti sunt. Iam vsu hoc cognitum est, si primū impetum, quem feruido ingenio & cæca ira effundunt, sustinueris, fluunt sudore & lassitudine membra, labant arma: mollia corpora, molles, vbi ira confedit, animos, sol, puluis fitis, vt ferrum non admoueas, prosternunt. Non legionibus legiones eorum solū experti sumus, sed vir vnus cum viro vno congregiundo, T. Manlius, M. Valerius quantum Gallicam rabiem vinceret Romana virtus, docuerunt. Iam M. Manlius vnus agmine scādentes in Capitolium Gallos detrusit. Et illis maioribus nostris cum haud dubiis Gallis in terra sua genitis res erat: hi iam degeneres sunt, mixti & Galli & Græci, vnòque nomine Gallogræci verè appellantur. Sicut in frugibus pecudibusque non tantum semina ad seruandum indolem valent, quantum terræ proprietates, cælique sub quo aluntur, mutat. Macedones, qui Alexandriam in AEGypto, qui Seleuciam ac Babyloniam, quique alias sparsas per orbem terrarum colonias habent: in Syros, Parthos, AEGyptios degenerarunt. Masilia inter Gallos sita traxit aliquantulum ab accolis animorū. Tarētinis quid ex Spartana dura illa & horrida disciplina mansit? Generosius in sua quicquid sede gignitur, insitum alienæ terræ, in id quo alitur, natura vertente se, degenerat. Phrygas igitur Gallicis oneratos armis, sicut in acie Antiochi cecidistis, victos victores cædetis. Magis id vereor neparum inde gloriæ, quàm ne nimium belli sit. Attalus eos rex sæpe fudit fugauitque. Nolite existimare beluas tantum recens captas feritatem illam syluestrem primò seruare, deinde quum diu manibus humanis alantur, mitescere: in hominum feritate mulcenda non eandem naturam esse. Eosdè ne hos creditis esse qui patres eorum auique fuerunt? Extorres inopia agrorum, profecti domo per asperrimam Ilyrici oram, Pæoniam, inde & Thraciam, pugnando cū ferocissimis gentibus, emensi, has terras ceperunt: duratos eos tot malis exasperatosque accepit terra quæ copia rerū omnium saginaret: vberimo agro, mitissimo cælo, clementibus accolarum ingeniis, omnis illa cum qua venerat,

manifesta est feritas. Vobis mehercule Martis viris cauenda ac fugienda quamprimum amicitia est Asia: tantum hæc peregrina voluptas ad extinguendum animorum vigorem possunt, quantum contagio disciplina morisque accolarum valet. Hoc tamen feliciter euenit quod sicut vim aduersus vos nequaquam, ita famam apud Græcos parem illi antiquæ obtinent cum qua venerunt; bellique gloriam victores eandem inter socios habebitis, quam si seruantes antiquum specimen animorum, Gallos vicissetis.

ORATIO L. FVRRII PURPURIONIS ET PAVLI

Æmili aduersus Cn. Manlium, ne triumphus ei decernatur.

ARGVMENTVM.

Cneus Manlius proconsul, perfecto bello Gallogræcorum Romam redierat, ubi dato senatu, quum propter res à se gestas peteret vt diis honos haberetur, sibi que triumphanti in urbem vehi liceret: inter alios duo exiit legatus, L. Furius Purpurio, L. Æmilius Paulus, qui maxime intercessere. Inter alii obiciebant, quum legati missi essent de pace cum Antiocho facienda, ab eo pacem eam turbatam & impeditam esse: nunc quæ ad bellum Gallogræcorum pertinet, obiciunt.

Quid eorum, Cnei Manli, factum est, vestud publicum populi Rom. bellum, & nõ truum priuatum latrocinium dicamus? An eo ipso contentus fuisti? regio itinere duxisti exercitum ad eos quos tibi hostes desumpseras: an per omnes in fractus viarum quæ ad bruiua consisteres, vt quò flexisset agmen Attalus Eumenis frater, eò consul mercenarius cum exercitu Romano lequereris? Pisidia, Lycaonia que & Phrygia recessus omnes atque angulos peragrasti, stipem a tyrannis, castellanisque decumis colligens. Quid enim tibi cû Oroandis: quid cum aliis & quæ innoxius populis? Bellum autem ipsum cuius nomine triumphum petis, quomodo gessisti: loco quo, tempore tuo pugnas? Tu verò rectè, vt diis immortalibus honos habeatur postulas, primum quòd pro temeritate imperatoris nullo iure gentium bellum inferentis penas luere exercitum noluerunt, deinde quòd beluas non hostes nobis obiecerunt. Nolite nomen tantum existimare mixtum esse Gallogræcorum, multo ante & corpore & animo mixti ac mutati sunt. An si illi Galli essent, cum quibus milies vario euentu in Italia pugnatum est: quantum in imperatore nostro fuit, nuntius illinc redisset? Bis cum iis pugnatum est, bis loco iniquo subita in valle inferiore pedibus penè hostium aciem subiecit, vt si non tela ex superiore loco mitterent, sed corpora sua nuda iniicerent, obruere nos potuerint. Quid igitur incidit? Magna fortuna populi Romani est, magnum & terribile nomen. Recenti ruina Annibalis, Philippi, Antiochi, propè attonitæ erant tantæ corporum moles: fundis sagittisque in fugâ consternatæ sunt: gladius in acie cruentatus non est Gallico bello: velut apium examina ad crepitum primum missiliũ auolauere. At hercule nos iidem (admonere fortuna, quid si hostem habuissemus, casurum fuisset.) quum redeuntes in latrunculos Thracas incidissemus, cæsi, fugati, exuti impedimentis fumus. Quid Minutius Thermus in quo haud paulo plus damni factum est quàm si Cn. Manlius, cuius temeritate ea clades incidit, perisset, cum multis viris fortibus cecidit: exercitus spolia regis Antiochi referens, trifariam dissipatus, alibi primum, alibi postremum agmen, alibi impedimenta, inter vespres in latebris ferarum noctem vnã delituit. Pro his triumphus petitur: Si nihil in Thracia cladis ignominie que foret acceptum, de quibus hostibus triumphum peteres? de iis (vt pp̄nor) quos tibi hostes senatus aut populus Rom. dedisset. Sic huic L. Scipioni, sic illi M. Attilio de rege Antiocho, sic paulo ante T. Quintio de rege Philippo, sic P. Africano de Annibale, Poenis & Syphace triumphus datus: Et minima illa, quum iam senatus censuisset bellum, quæ sita tamen sunt: quibus nuntiandum esset: ipsis vtique regibus nuntiaretur, an satis esset ad presidium aliquod nuntiari. Vultis ergo hæc omnia pollui & confundi: tolli fecialia iura: nullus esse feciales? Fiat (pace deũ dixerim) iactura religionis, oblitio deorum capiat pectora vestra: num senatum quoque de bello consuli non placeat: non ad populum ferri, vt iubeant eum Gallis bellum geri: Modò certè consules Græciam atque Asiam volent: tamen perseverantibus vobis Ligures prouinciam decernere: dicto audientes fuerunt. Merito igitur a vobis prosperè bello gesto triumphum petent, quibus autoribus gesserunt.

ORATIO CNEI MANLI

refutatoria.

Tribuni pl. antea solebant triumphum postulantibus aduersari, p. c. quibus ego gratiam habeo, quod seu mihi, seu magnitudini rerum gestarum hoc dederunt, ut non solum silentio comprobarent honorem meum, sed referre etiam, si opus esse videretur, parati essent. Ex decem legatis (si diis placet) quod consilium dispensanda cohonestandaque victoria imperatoribus maiores dederunt nostri, aduersarios habeo. Lucius Furius & L. Aemilius curram triumphalem me conscendere prohibent, coronam insignem capiti detrahunt: quos ego, si tribuni me triumphare prohiberent, testes citaturus fui rerum a me gestarum. Nullius equidem inuideo honori p. c. vos tribunos pl. nuper viros fortes ac strenuos impediens, Q. Fabii Labeonis triumphum auctoritate vestra deterruistis. Triumphauit, quem non bellum iniustum gessisse, sed hostem omnino non vidisse inimici iactabant. Ego, qui cum centum millibus ferocissimorum hostium signis collatis toties pugnaui, qui plus quadraginta millia hominum cepi aut occidi, qui bina castra eorum expugnaui, qui citra iuga Tauri omnia pacatiora quam terra Italia est, reliquis non triumpho modo fraudor, sed causam apud vos p. c. accusantibus meis ipse legatis dico. Duplex eorum, ut animaduertistis p. c. accusatio fuit. Nam nec gerendum mihi fuisse bellum cum Gallis, & gestum temere atque imprudenter dixerunt. Non erant Galli hostes: sed tu eos pacatos imperata facientes violasti. Non sum postulaturus a vobis p. c. ut quae communiter de immanitate gentis Gallorum, de infestissimo odio in nomen Romanum scitis, ea de illis quoque qui Asiam incolunt, existimeris. Gallos, remota vniuersae gentis infamia atque inuidia, per se ipsos aestimate. Vtinam rex Eumenes, vtinam Asia ciuitates omnes adessent, & illos potius querentes quam me accusantem audiretis. Mitrite aegrum legatos circa Asiam ad omnes vrbes, & quaerite vtrum a grauiori seruitute, Antiocho ultra Tauri iuga moto, an Gallis subactis, liberati sint: quoties agri eorum vastati sint, quoties praedae abactae, referant, quum vix redimendi captiuos copia esset, & maceratae humanas hostias immolatosque liberos suos audirent. Stipendium scitote pependisse socios vestros Gallis, & nunc liberatos per vos regio imperio fuisse persuros, si a me foret cessatum. Quo longius Antiochus emotus esset, hoc impotenti in Asia Galli dominarentur, & quicquid est terrarum citra Tauri iuga, Gallorum imperio, non vestro adiecissetis. Atenim sunt haec ita: verum etiam Delphos quondam commune humani generis oraculum, vmbilicum orbis terrarum, Galli spoliauerunt, nec ideo populus Ro. his bellum indixit aut intulit. Equidem aliquid interesse rebar inter id tempus quo nondum in iure ac ditione vestra Graecia atque Asia erat, ad curandum animaduertendumque quid in iis terris fieret: & hoc, quo finem imperii Romani Taurum montem statuistis: quo libertatem immunitatemve ciuitatibus datis: quo aliis fines adicitis, alios agro mulctatis, aliis vectigal imponitis: regna augetis, minuitis, donatis, adimitis: curae vestrae censetis esse ut pacem terra marique habeant. An nisi praesidia dedisset Antiochus, quae quiescentia in suis arcibus erant, non putaretis liberatam Asiam? Si Gallorum exercitus effusi vagaretur, rata dona vestra quae dedistis regi Eumeni, rata libertas ciuitatibus esset: Sed quid ego haec ita argumentor, tanquam non acceperim, sed fecerim hostes Gallos? Te L. Scipio appello, cuius ego mihi, succedens in vicem imperii tui, virtutem felicitatemque pariter non frustra ab diis immortalibus precatus sum: te P. Scipio, qui legati ius, collegae maiestatem & apud fratrem consulem, & apud exercitum habuisti: sciasne in exercitu Antiochi Gallorum legiones fuisse: videritis in acie eos in cornu utroque (id enim roboris esse videbatur) locatos: pugnaueritis ut cum hostibus iustis: cecideritis: spolia eorum retuleritis. Atqui cum Antiocho, non cum Gallis bellum his & senatus decreuerat & populus iusserat. Sed simul, ut opinor, cum iis decreuera ut iusserantque qui inter eius praesidia fuissent: ex quibus, praeter Antiochum, cum quo pacem pepigerat Scipio, & cum quo nominatim foedus ut fieret mandaueratis, omnes hostes erant qui pro Antiocho arma aduersus nos tulerunt. In qua causa quum Galli ante omnes fuissent, & reguli quidam & tyranni: ego tamen & cum aliis pro dignitate imperii vestri coactis luere peccata sua, pacem pepigi, & Gallorum animos, si possent mitigari a feritate insita, tentavi: & posteaquam indomitos atque implacabiles cernebam, tum demum vi atque armis coercendos ratus sum. Nunc quoniam suscepti belli purgatum est crimen, gesti reddenda

est ratio: in quo confiderem equidem causæ meæ, etiam si non apud Romanum sed apud Carthaginensium senatum agerem, ubi in crucem tolli imperatores dicuntur, si prospero euentu, prauo consilio rem gesserunt. Sed ego in ea ciuitate quæ ideo omnibus rebus incipiendis gerendisque deos adhibet, quia nullius calumniæ subiicit ea quæ dii comprobauerunt: & in solennibus verbis habet, quum supplicationem aut triumphum decernit, quòd bene ac feliciter Rempub. administrarit: si nollem, si graue ac superbum existimarem virtute gloriari: pro felicitate mea exercitusque mei, quòd tantam nationem sine vlla militum iactura deuicimus, postularem vt diis immortalibus honos haberetur, & ipse triumphans in Capitolium ascenderem, vnde votis rite nuncupatis profectus sum, negaretis hoc mihi cum diis immortalibus? Iniquo enim loco dimicauit. Dic igitur quo æquiore potuerim dimicare, quum montem hostes cepissent, loco munito se tenerent. Nè pe eundum ad hostes erat, si vincere vellem. Quid si urbem eo loco haberent, & moenibus se tenerent? Nempe oppugnandi erant. Quid: ad Thermopylas æquò loco M. Acilius cum rege Antiocho pugnavit? Quid: Philippum non eodem modo super Aoum amnem iuga tenentem montium T. Quintius deiecit? Equidem adhuc qualem aut sibi fingant, aut vobis videri velint hostem fuisse, non inuenio. si degenerem, & emollitum amœnitate Asiæ, quid periculi vel iniquo loco subeuntibus fuit: si timendum & feritate animorum & robore corporum, huicne tantæ victoriæ triumphum negatis? Cæca inuidia est p. c. nec quicquam aliud scit quàm detractare virtutes, corrumpere honores ac præmia earum. Mihi quæso, ita ignoscatis p. c. si longiorem orationem non cupiditas gloriandi de me, sed necessaria criminum defensio fecit. An etiam per Thraciam saltus patentes, qui angusti erant, & plana ex arduis, & culta ex syluestribus facere potui: & præstare necubi notis sibi latebris delitescerent latrones Thracæ: nequid sarcinarum raperetur: nequod iumentum ex tanto agmine abstraheretur: nequis vulneraretur: ne ex vulnere vir fortis ac strenuus Q. Minutius moreretur? In hoc casu, quo infeliciter incidit vt talem ciuem amitteremus, hærent: quòd saltu iniquo, loco alieno quum adortus hostis nos esset, duæ simul acies primi & nouissimi agminis hærentem ad impedimenta nostra exercitum barbarorum circumuenerunt: quòd multa millia ipso die, plura multo post dies paucos ceciderunt & ceperunt: hoc si ipsi tacuerint, vos scituros, quum testis orationis meæ totus exercitus sit, non credunt. Si gladium in Asia non strinxissem, si hostem non vidissem, tamen pro Cos. triumphum in Thracia duobus præliis merueram. Sed iam dictum satis est: quin pro eo quòd pluribus verbis vos quàm volui, fatigavi, veniam à vobis petitam impetratamque velim, Patres conscripti.

ORATIO P. SCIPIONIS AFRICANI rei, ad Quirites.

ARGUMENTVM.

Suprà ostensum est, quum Antiochus pacem cum Scipione Africano atque Romanis pacisci vellet, ab ipso datum legato negotium vt si publicè impetrare non posset, priuatim cum Scipione ageret: ita regi placere vt filius sine prærio reddatur, ingensque auripondus detur, si per ipsum pacem impetraret. Inde ambo Q. Pleminii Scipionis criminandi occasione se nactos esse rati, ei diem dicunt. Is verò quum postero die citatus reus magna multitudine amicorum septus in Rostra subisset, in hæc verba populum Romanum admo-nebat, vt secum diis actum gratias irent, quòd eorum auspiciis tali die de Carthaginensibus triumphasset: ne videlicet in ea ciuitate quam paulo antè ab hostium infestis morum impetu atque armis vindicauerat, causam diceret.

HOC die, tribuni pleb. vósque Quirites, cum Annibale & Carthaginensibus signis cedere æquum sit, ego hinc extemplo in Capitolium ad Iouem optimum maximum, lunonemque & Minervam, ceterosque deos qui Capitolio atque arci præsident, salutandos ibo: hisque gratias agam, quòd mihi & hoc ipso die & sæpe aliàs egregiè Reipub. gerendam mentem facultatemque dederunt. Vestrum quoque, Quirites, quibus commodum est, ite mecum, & orate deos vt mei similes principes habeatis. Ita, si ab annis septemdecim ad senectutem semper vos ætatem meam honoribus vestris anteistis, ego vestros honores rebus gerendis præcessi.

Ex trigefimonono libro ab vrbe condita.

ORATIO M. PORCII CATONIS CON-
sulis, ad populum, in foedum Bacchanalium ritum.

A R G V M E N T V M.

Sacra Bacchi, quæ Bacchanalia dicuntur, ex Græcia in Etruriam prius, deinde velut cōtagione quadam ex Etruria Romam inuecta erant. Qui sacris us initiabantur, seu mares seu fœminæ, noctu cœtus conciliabulæque faciebant tota vrbe: fœminæ faces arden-tes præferebant, quas in aquam demissas, magia quadam, flamma integra efferebant: mares velut capta mente, cum iactatione fanatica vaticinabantur. Inde permixti viri fœminis nullum genus libidinis reliquum faciebant: postremò & virorum inter se & fœminarum passim concubitus fiebant. Hinc rixæ, hinc coniurationes, hinc cædes, hinc nullum nō mali genus serpebat. Sed nihil non reuelat dies, quanquam diu celatum atque abstrusum, tandem indicio cuiusdam Ebutiæ primùm, deinde Hispalæ, quam Ebutia manumiserat, ad Posthumium consulem res tota defertur. Is primo quoque tempore ad senatum quicquid acceperat defert: cui ob id ipsum habitæ à senatu gratiæ. Patres quæstionem de Bacchanalibus sacrisque nocturnis, consulibus decernunt. Tum verò & ne qui cœtus nocturni fieret decretum, & datum negotium vt sacerdotes qui sacris iis præerant, conquirentur. Iam suum cuique magistratui officium de iis sacris tollendis iniunctum erat, quum M. Porcius Cato consul, in Rostra concione aduocata conscendit, vnde comprecatus primùm deos, sicuti assolet quoties ad populum magistratus verba facturus est, in hæc verba de tollendis Bacchanalibus differuit,

NVlli vnquam concioni, Quirites, tam non solum apta, sed etiam necessaria hæc solennis deorum comprecatio fuit, quæ vos admoneret hos esse deos quos colere, venerari, precarique maiores vestri instituisent: non illos qui prauis & externis religionibus captas mentes, velut furialibus stimulis, ad omne scelus & ad omnem libidinem agerent. Equidem nec quid taceam, nec quatenus proloquar, inuenio: si aliquid ignorabitis, ne locum negligentię dem: si omnia nudauero, ne nimium terroris offundam vobis, vereor. Quicquid dixerò, minus quàm pro atrocitate & magnitudine rei dictum scitote esse: vt ad cauendum satis sit, dabitur opera à nobis. Bacchanalia tota iam pridem Italia, & nunc per urbem etiam multis locis esse, non fama modò accepisse vos, sed crepitibus etiam vlulatibusque nocturnis, qui personant tota vrbe, certum habeo: cæterum quæ ea res sit, ignorare: alios deorum aliquem cultum, alios concessum ludum & lasciuiam esse crede- ret: & quaecunq; sit, ad paucos pertinere. Quod ad multitudinem eorum attinet, si dixerò multa millia hominū esse, illico necesse est exterremini, nisi adiunxero, qui qualēsque sint. Primùm igitur mulierum magna pars est, & is fons mali huiusce fuit: deinde simillimi fœminis mares stuprati & constupratores, fanatici vigiles, vino, strepitibus clamoribusque nocturnis attoniti. Nullas adhuc vires coniuratio, cæterum incrementum ingens virium habet, quòd in dies plures fiunt. Maiores vestri, ne vos quidem, nisi quum aut vexillo in arce posito comitiorum causa exercitus edictus esset, aut plebi cōcilium tribuni edixisset, aut aliquis ex magistratibus ad concionem vocasset, fortè temere coire voluerunt: & vbi- cunq; multitudo esset, ibi & legitimum rectorem multitudinis censebant debere esse. Quales primùm nocturnos cœtus, deinde promiscuos mulierū ac virorum esse creditis? Si, quibus ætatibus initientur mares, sciatis, non misereat vos eorum solum, sed etiam pu- deat. Hoc sacramento initiatos iuuenes, milites faciendos censeis, Quirites: iis ex obsceno sacrario eductis arma committenda: hi cooperiti stupris suis alienisque, pro pudicitia con- iugum ac liberorum vestrorum ferro decernent? Minus tamen esset si flagitiis tantum effœminati forent, (ipsorum id magna ex parte dedecus erat) à facinoribus manus, men- tem à fraudibus abstinuissent. Nunquam tantum malum in Repub. fuit, nec ad plures, nec ad plura pertinens. Quicquid his annis libidine, quicquid fraude, quicquid scelere pec- catum est, ex illo vno sacrario scitote ortum esse. Necdū omnia in quæ coniurauerunt edi- ta facinora habent, adhuc priuatis noxiis (quia nondum ad rempublicam opprimendam satis virium est) coniuratio sese impia tenet. Crescit & serpit quotidie malum: iam maius est quàm vt capere id priuata fortuna possit: ad summam reipub. spectat, nisi præcauetis Quirites. Iam huic diurnæ legitimè ab consule vocatæ par nocturna concio esse poterit. Nunc illi vos singuli vniuersos concionantes timent: iam vbi vos dilapsi domos & in rura

vestra eritis, illi coierint, consultabunt de sua salute simul ac vestra pernicie: tum singulis vobis vniuersi timendi erunt. Optare igitur vnusquisque vestrum debet vt bona mens suis omnibus fuerit: si quem libido, si furor in illum gurgitem abripuit, illorum eum, cum quibus in omne flagitium & facinus coniurauit, non suum iudicet esse. Nequis etiã errore labatur vestrum quoque, non sum securus. Nihil enim in specie fallacius est quàm praua religio. Vbi deorum numen prætenditur sceleribus, subit animum timor ne fraudibus humanis vindicandis, diuini iuris aliquid immixtũ violemus. Hac vos religione innumerabilia decreta pontificum, senatusconsulta, aruspicum denique responsa liberant. Quoties hoc patrum auorumque ætate negotium est magistratibus datum vt sacra externa fieri vetarent: sacrificulosque vatésque foro, circo, vrbe prohiberent: vaticinios libros conquirerent comburerentque: omnem disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano, abolerent: Iudicabant enim prudentissimi viri omnis diuini humaniq; iuris, nihil æquè dissoluendæ religionis esse, quàm vbi non patrio sed externo ritu sacrificaretur. Hęc vobis prædicenda ratus sum, ne qua superstitio ageret animos vestros, quum demolientes nos Bacchanalia, discutientésque nefarios cœtus, cerneretis. Omnia diis propitiis volentibusque ea faciemus: qui quia suum numẽ sceleribus libidinibusque cõtaminari indignè ferebant, ex occultis ea tenebris in lucem extraxerunt: nec patefieri, vt impunita essent, sed vt vindicaretur & opprimerentur, voluerunt. Senatus quæstionem extra ordinem de ea re mihi collegæque meo mandauit: nos ipsi, quæ nobis agenda sunt, impigrè exequemur: vigiliarum nocturnarum curam per vrbe minoribus magistratibus mãdauius. Vos quoque æquum est, quæ vestra munia sunt, quo quisque loco positus erit, quod imperabitur, impigrè præstare, & dare operam ne quid fraude noxiorum periculi aut tumultus oriatur.

ORATIO PHILIPPI MACEDONIS

ad legatos Romanorum.

ARGUMENTVM.

Philippus Macedo multa oppida Thessalorum, Perrhæbiorum, Maronitarum, aliorumque populorum, suæ ditionis fecerat: quæ quum repetita permissu se Romanorum occupare diceret, communi voluntate atque vno consensu eam rem ii populi ad senatum deferunt. Senatusconsulto legati tres (in quibus Q. Cæcilius Metellus fuit) ad disceptationem finiendam missi, quorum primo statim aduentu de ea ipsa re concilium indictum est: ad quod etiam Philippus conuenit. Cognita causâ legati decernunt vt præfidia Macedonum ex vrbebus Thessalorum & Perrhæbiorum deducerentur. Inde in Thraciam profecti, de vrbebus eius gentis cognoscunt. Philippus indignè ferebat omnia non ex animi sui sententia & iure fieri. Itaque iniurias suas in hanc sententiam legatis exposuit,

Non cum Maronitis mihi aut cum Eumene disceptatio est, sed iam vobiscum, Romani, à quibus nihil æqui me impetrare, iam diu animaduerto. Ciuitates Macedonum, quæ à me inter inducias defecerant, reddi mihi æquum censebam: non quia magna accessio ea regni futura esset (sunt enim & parua oppida, & in finibus extremis posita) sed quia multum ad reliquos Macedonas continendos exemplum pertinebat. negatũ est mihi. Bello A Etolico Lamiam oppugnare iussus à consule M. Acilio, quum diu fatigatus ibi præliis operibusque essem, transcendẽtem me iam muros à capta propè vrbe reuocauit consul, & abducere inde copias coegit. Ad huius solatium iniuriæ permissum est vt Thessaliæ, Perrhæbiæque & Athamanum reciperem quædam castella magis quàm vrbes. Ea quoque ipsa vos mihi, Q. Cæcili, paucos ante dies ademistis. Pro non dubio paulo antè (si diis placet) legati Eumenis sumebant quæ Antiochi fuerunt, Eumenem æquius esse quàm me habere: id ego aliter longè iudico esse. Eumenes enim, nõ nisi vicissent Romani, sed nisi bellum gessissent, manere in regno suo non potuit. Itaque ille vestrum meritum habet, non vos illius. Mei autem regni tantum aberat vt vlla pars in discrimine fuerit, vt tria millia talentũ, & quinquaginta tectas naues, & omnes Græciæ ciuitatès, quas antea tenuissem, pollicentem vltro Antiochum in mercedem societatis, sim aspernatus: hostemque ei me esse prius etiam quàm M. Acilius exercitum in Græciam traiceret, præmetuli: & cum eo consule belli partem quamcunque mihi delegauit, gessi. & insequenti consuli L. Scipioni, quum terra statuisset ducere exercitum ad Hellepontum, non itet

tantum per regnum nostrum dedi, sed vias etiam muniui, pontes feci, comitatus præbui: nec per Macedoniam tantum, sed per Thraciam, vbi etiam inter cætera pax quoque præstanda à barbaris erat. Pro hoc studio meo erga vos, (ne dicam merito) vtrum adiicere vos Romani aliquid, & amplificare & augere regnum meum munificentia vestra oportebat? an quæ haberem aut meo iure, aut beneficio vestro, eripere? id quod nunc facitis. Macedonum ciuitates, quas regni mei fuisse fatemini, non restituantur. Eumenes tanquam ad Antiochum, ad spoliandum me venit, & (si diis placet) decem legatorum decretum specimen calûniæ impudentissimæ præterdit: in quo maximè & refelli & coargui potest. Diferentissimè enim planissimèq; in eo scriptum est, Chersonesum & Lysimachiam Eumeni dari. Vbi tandem Aeneus & Maronea & Thraciæ ciuitates adscriptæ sunt? Quod ab illis ne postulare quidè est ausus, id apud vos, tãquã ab illis impetrauerit, obtinebit? Quo in numero me apud vos esse velitis, referte. si tanquam inimicum & hostem insectari propositum est, pergite vt cœpistis facere: sin aliquis respectus est mei, vt socii atque amici regis, deprecor ne me tanta iniuria dignum iudicetis.

ORATIO LYCORTAE PRAETORIS

Achæorum, qua legatis Rom. respondet.

ARGUMENTVM.

Lacedæmonii apud Q. Cæcilium legatum primùm, deinde Romæ apud senatum de iniuriis suis, quas ab Achæis acceperant, conquesti sunt. Inter cætera id quoque criminabantur, moenia Lacedæmonis ab iis diruta esse, abductam plebem veditam, Lycurgi leges ademptas. Legatio deinde decreta, cuius Appius Claudius princeps erat. Is quum dato cõcilio exposuisset Achæis ægrè ferre senatum quòd Lacedæmonis tot tamq; graues clades intulissent, eadèmq; fecissent eorum qui missi fuerant à Philopœmene, tum Lycortas prætor eorum ita obiectis respondit,

Difficilior nobis, Appi Claudii, apud vos oratio est, quàm Romæ nuper apud senatũ fuit. Tunc enim Lacedæmoniis accusantibus respondendum erat: nunc à vobis ipsis accusati sumus, apud quos causa dicenda est, quam iniquitatem cõditionis subimus, quòd ab illa spe decidimus, iudicis animo te auditurum esse, posita contentione, qua paulo antè egisti. Ego certè quum ea quæ & hinc antea apud Q. Cæcilium, & postea Romæ questi sunt Lacedæmonii, à te paulo antè relata sint: non tibi, sed illis me apud te respondere credam. Eadè obiectis eorum qui à Philopœmene prætoris euocati ad causam dicendam, interfecti sunt. Hoc ego crimè nõ modò à vobis, Romani, sed ne apud vos quidè nobis obiectum fuisse arbitror. Quid ita? quia in vestro fœdere erat, vt maritimis vrribus abstinerent Lacedæmonii. Quo tempore armis captis vrbes quibus abstinerere iussi erant, nocturno impetu occupauerunt, si T. Quintius, si exercitus Romanus, sicut antea in Pelopõneso fuisset, eo nimirum capti & oppressi confugissent: quum vos procul essetis, quò aliò nisi ad nos, socios vestros, quos antea Gytheo opem feretes, quos Lacedæmonem vobiscum simili de causa oppugnantes viderant, confugerent? Pro vobis igitur iustum piũque bellum suscepimus: quod quum alii laudent, reprehendere ne Lacedæmonii quidem possint, & diu quoque ipsi comprobauerint, qui nobis victoriam dederunt: quoniam modo ea quæ belli iure acta sunt, in disceptationem veniunt, quorum tamen maxima pars nihil pertinet ad nos? Nostrum est quòd euocauimus eos ad causam dicendam, qui ad arma multitudinem exciuerant, qui expugnauerant maritima oppida, qui diripuerant, qui eadè principum fecerant. Quòd verò illi venientes in castra interfecti sunt, vestrum est Areu & Alcibiade, qui nunc nos (si diis placet) accusatis: non nostrum. Exules Lacedæmoniorum, quo in numero ii quoque duo fuerunt, & tunc nobiscum erant: & quòd domicilio sibi delegerant maritima oppida, se petitos credentes, in eos quorum opera patria extorres, ne in tuto quidem exilio posse cõfensescere se indignabantur, impetum fecerunt. Lacedæmonii igitur Lacedæmonios, non Achæi interfecerunt: nec iure an iniuria cæsi sint, argumentari refert. Atenim illa certè vestra sunt, Achæi, quòd leges disciplinamque vetustissimam Lycurgi sustulistis, quòd muros diruistis: quæ vtraq; ab iisdem obiecti qui possunt? quum muri Lacedæmonis nõ à Lycurgo, sed paucos ante annos ad dissoluendam Lycurgi disciplinam extructi sint? Tyranni enim nuper eos arcẽ

& munimentum sibi, non ciuitati parauerunt: & si existat hodie ab inferis Lycurgus, gaudeat ruinis eorum, & nunc se patriam & Spartam antiquam agnoscere dicat. Non Philopoemenem expectare, nec Achæos, sed vos ipsi Lacedæmonii vestris manibus amoliri & diruere omnia tyrannidis vestigia debuistis. Vestra enim illæ deformes notæ seruitutis erant: & quum sine muris per octingentos propè annos liberi, aliquando etiam principes Græciæ fuissetis, muris velut cōpedibus circūdati vincti per cētum annos seruistis. Quod ad leges ademptas attinet, ego antiquas Lacedæmonii tyrannos ademisse, arbitror: vos nō suas ademisse, quas nō habebant, sed nostras leges dedisse: nec malè cōsuluissete ciuitati, quū contilii nostri eā fecerimus, & nobis miscuerimus, vt corpus vnū & concilium totius Pelopónesi esset. Tūc, opinor, si aliis ipsi legibus viueremus, alias istis iniunxissetemus, queri se iniquo iure esse & indignari possent. Scio ego, Appi Claudii, hāc orationē, qua sum adhuc vsus, neque sociorum apud socios, neque liberæ gentis esse, sed verè seruorum disceptantium apud dominos. Nam si non vox illa vana præconis fuit, qua liberos esse omnium primos Achæos iussistis: si foedus ratum est, si societas & amicitia obseruatur ex æquo: cur ego quid Capua capta feceritis Romani, nō quæro? Vos rationē reposcitis, quid Achæi Lacedæmonii bello victis fecerimus? Interfecti aliqui sunt, finge, à nobis: quid? vos senatores Campanos securi non percussistis? Muros diruimus: vos non muros tantū, sed vrbem & agros ademistis. Specie, inquis, æquū est foedus apud Achæos: re, precaria libertas: apud Romanos etiam imperium est. Sentio, Appi: & si non oportet, non indignor: sed oro vos, quantumlibet intersit inter Romanos & Achæos, modò ne in æquo hostes vestri nostriq; apud vos sint, ac nos socii, imò ne meliore iure sint. Nam vt in æquo essent, nos fecimus, quum leges iis nostras dedimus, quum vt Achæi concilii essent effecimus. Parum est vobis, quod victoribus satis est: plus postulant hostes, quàm socii habent. Quæ iureiurando, quæ monumentis literarum in lapide insculptis in æternam memoriam sancta atque sacra sunt, ea cum periurio nostro tollere parant. Veremur quidem vos, Romani, & si ita vultis, etiam timemus: sed plus veremur & timemus deos immortales.

Ex quadragesimo libro ab vrbe condita.

ORATIO PHILIPPI MACEDONIS DE sua liberorumque infelici conditione.

ARGVMENTVM.

Philippo regi Macedonum filii erant duo, Perseus & Demetrius: minor Demetrius multitudinis fauorem emeruerat, gratus iam ab initio Romanis, legationū quas pro patre impigre exequit^r erat, nomine, aliisque præclaris rebus quæ in eo prælucebant. Hoc ipsum Perseus agrè ferebat, quòd eo pacto imperii summam mortuo patre ad eum deferendam esse facile appareret. Itaque sibi addiscit Macedonū magnum numerum, qui secum patrem regem, suapte natura in Romanos odio atque ira concitatum, ad bellum incitarent. Nacti eius rei occasionem alii alia in Romanos iaciebant, etiam præsentem Demetrio. Impatiens irarū iuuenis, amoris videlicet sui erga Romanos velut igniculis agitated, quæcunque in Romanos dicebant, extemplo dictis refellebat, ita patri se suspectū faciens. Inde, in cōciliū adhibebatur quoties de Romanis erat consultandum. Ex eo verò colloquio Perseus viam sibi ad augendā eam suspiciōne factā esse ratus, nūquā non eius cōsiliū sui perficiendi opportunitatem quærebat. fortè Basternæ quidam regii sanguinis eius gentis in Macedoniam venientes, sororem suam alteri liberorum Philippi se dare velle in matrimōniū dixerant: quoniam nuntio Philippo supramodum latenti, Quid hæc, inquit Perseus, profutura sunt nobis, quum fraude domestica plus immineat periculi quàm præsidii ab externis auxiliis? Præterea post conditum lustrum, quum pro more iuuenes regii suis quisque copiis stipati concurrerent, ita tamen vt Persei præsertim furore nihil ad instam prælii speciem præter ferum deesset, eo certamine tandem longè superior Demetrii acies apparuit. Quod indignè passus Perseus quum ad conuiuium à fratre vocaretur, se ad futurum acerrimè negat. Fecit deinde die iactatis de ludicris vtrinque sermonibus, speculator ex conuiuium Persei ad audiendū quæ iactarentur, fortè Persei iustu egreditur, qui à iuuenibus ex triclinio itidem Demetrii egressis vulneratus abcessit. Eius rei ignarus Demetrius, mox, Quin comestatu, inquit, ad fratrem imus: & iram, si qua forè ex certamine residet, nostra hilaritate lenimus? Conclamarunt omnes qui aderant, præter eos qui ausi erant facinus, eundem esse. Ita quū soli abnuerent, à Demetrio ire coguntur: ac facti sui non obliui, gladios sub veste occultant, quibus se, si qua vis fortè oriretur, defenderent. Speculatores in vestibulo ædium Persei stabant, qui extemplo ingressi ad Perseum, nuntiant Demetrium venire inter multos gladios

cinctos. Hoc nuntio permotus Perseus velut in re trepida, claudi quamprimum ianuam iabet. Ita nequicquam pulsatis foribus, domum suam totius eius rei ignarus Demetrius ad conuiuium redit. Postero die quamprimum licuit, in regiam ad patrem Perseus ire pergit: quem quum solito tristitorem Philippus animaduerneret, quid ea maestitia portenderet rogat. Perseus ordine rem totam exponit. Tum pater & Demetrium vocari & amicos aliquot iubet, quibus miseram suam & liberorum conditionem ita ut sequitur indicauit. Post patrem, Perseus prior Demetrium parricidii accusat: sequuta est deinde rei defensio.

SEdeo miserrimus pater iudex inter duos filios, accusatorem parricidii, & reum, aut conficti aut admissi criminis labem apud meos inuenturus. Iam pridem quidem hanc procellam imminentem timebam, quum vultus inter vos minimè fraternos cernerem, quum voces quasdam exaudirem: sed interdum spes animum subibat, deflagrare iras vestras, purgari suspiciones posse. etiam hostes armis positos foedus icisse, & priuatas multorum simultates finitas: subituram vobis aliquando germanitatis memoriam, puerilis quondam simplicitatis consuetudinisque inter vos: meorum denique praceptorum, quae vereor ne vana surdis auribus cecinerim. Quoties ego audientibus vobis detestatus exempla discordiarum fraternarum, horrendos euentus eorum retuli, quibus se stirpemque suam, domos, regna funditus euertissent? Meliora quoque exempla parte altera posui, sociabilem consortionem inter binos Lacedaemoniorum reges, salutarem per multa secula ipsis, patriaeque: eandem ciuitatem, posteaquam mos sibi cuique rapiendi tyrannidem exortus sit, euersam. Iam hos Eumenem Attalumque fratres, à quam exiguis rebus, (propè ut puderet regii nominis) mihi, Antiocho, & cuiuslibet regum huius aetatis, nulla re magis quam fraterna vnanimitate, regnum aequasse. Ne Romanis quidem exemplis abstiniui, quae aut visa aut audita habebam: T. & L. Quintiorum, qui bellum mecum gesserunt, P. & L. Scipionum, qui Antiochum deuicerunt: patris patruisque eorum, quorum perpetuam vitae concordiam mors quoque miscuit. Neque vos illorum scelus, similisque sceleri euentus deterrere à vecordi discordia potuit: neque horum bona mens, bona fortuna ad sanitatem flectere. Viuo & spirante me haereditatem meam ambo & spe & cupiditate improba creuistis. Eousque me viuere vultis donec alterius vestrum superstes haud ambiguum regem alterum mea morte faciam. Nec fratrem nec patrem potestis pati: nihil chari, nihil sancti est: in omnium vicem regni vnus insatiabilis amor successit. Agite, conscelerate aures paterna: decernite criminibus, mox ferro decreturi: dicite palam quicquid aut veri potestis, aut comminisci libet: reseratae aures sunt, quae posthac secretis alterius ab altero criminibus claudentur.

ORATIO PERSEI ACCVSATORIS IN Demetrium fratrem parricidii reum.

APerienda nimirum nocte ianua fuit, & armati comessatores accipiendi, praebendumque ferro iugulum, quando non creditur nisi perpetratum facinus: & eadem petitus insidiis audio, quae latro atque insidiator. Non nequicquam isti vnum Demetrii filium te habere, me subditum & pellice genitum appellat. Nam si gradum, si charitatem filii apud te haberem, non in me querentem deprehensas insidias, sed in eum qui fecisset, saeuire. Nec adeo tibi vilis vita esset nostra, ut nec praeterito periculo meo moueris, neque futuro, si insidiantibus sit impune. Itaque si mori tacitum oportet, taceamus, precati tantum deos ut à me coeptum scelus in me finem habeat, nec per meum latus tu petaris. Sin autem, quod circumuentis in solitudine natura ipsa subiicit, ut hominum quos nunquam viderint, fidem tamen implorent, mihi quoque ferrum in me strictum cernenti, vocem mittere liceat. Per te, patriumque nomen, (quod vtri nostrum sanctius sit, iam pridem sentis) ita me audias precor, tanquam si voce & comploratione nocturna excitus mihi quiritantem interuenisses, Demetrium cum armatis nocte intempesta in vestibulo meo deprehendisses. Quod tum vociferarer in re praesenti pavidus, hoc nunc postero die queror. Frater, non comessantium in vicem iamdiu viuimus inter nos: regnare utique vis: huic spei tuae obstat aetas mea, obstat gentium ius, obstat vetustus Macedoniae mos, obstat verò etiam patris iudicium. Huc transcendere nisi per meum sanguinem non potes. omnia moliris & tentas: adhuc seu cura mea, seu fortuna, restitit

parricidio tuo. Hesternæ die in lustratione & decursu & simulacro ludico pugnae funestum propè prælium fecisti: nec me à morte aliud vindicauit quàm quòd me ac meos vinci passus sum. Ab hostili prælio tanquam fraterno lusu pertrahere me ad cœnam voluisti. Credisne, pater, inter inermes conuiuas me cœnaturum fuisse, ad quem armati comessatum venerunt? Credis nihil à gladiis nocte periculum fuisse, quem sudibus te inspectante propè occiderunt? Quid hoc noctis? quid ut inimicus ad iratum? quid cum ferro succinctis iuuenibus venis? Conuiuam me tibi committere ausus non sum: comessatorem te cum armatis venientem recipiam: Si aperta ianua fuisset, funus meum parares hoc tempore, pater, quo querentem audis. Nihil ego tanquam accusator criminose, nec dubia argumentis colligendo, ago. Quid enim? negat se cum multitudine venisse ad ianuam meam: aut ferro succinctos secum fuisse? Quos nominauero, accersere possunt quidem omnia audere qui hoc ausi sunt: non tamen audebunt negare se deprehensos intra limen meum cum ferro. Si ad te deducerem, rem pro manifesto haberes: fatentes pro deprehensis habe. Execrare nunc cupiditatem regni, & furias fraternas concita: sed ne sint cæcæ, pater, execrationes tuæ, discerne: dispice insidiatorem, & petitum insidiis: noxium huic esse caput: qui occisurus fratrem fuit, habeat etiam iratos paternos deos: qui periturus fraterno scelere fuit, perfugium in patris misericordia & iustitia habeat. Quò enim aliò confugiam: cui non solenne lustrale exercitus, non decursus militum, non domus, non epulæ, non nox ad quietem data naturæ beneficio mortalibus, tuta est? Si iero ad fratrem inuitatus, moriendum est: si recepero intra ianuam comessatum fratrem, moriendum est. Nec eundo, nec manendo insidias euito. Quò me conferam? nihil præter deos, pater, & te colui. Non Romanos habeo, ad quos confugiam: perisse expetunt, quia tuis iniuriis doleo: quia tibi ademptas tot vrbes, tot gentes, modò Thraciæ maritimam oram indignor. Nec me, nec te incolumi Macedoniam suam futuram sperant: sed si me scelus fratris, te senectus absumpserit, aut nec ea quidem expectata fuerit, regem regnumque Macedoniæ sua futura sciunt. Si quid extra Macedoniam tibi Romani reliquissent, mihi quoque id relictum crederem receptaculum. At in Macedonibus satis præsidii est. Vidisti hesternæ die impetum in me militum: quid illis defuit, nisi ferrum? Quod illis defuit interdum, cœuiuæ fratris noctu assumptum: Quid de magna parte principum loquar, qui in Romanis spem omnem dignitatis & fortunæ posuerunt, & in eo qui omnia apud Romanos potest? Neque hercule istum mihi tantum fratri maiori, sed propè est ut tibi quoque ipsi regi & patri præferant. Iste enim est cuius beneficio pœnam tibi senatus remisit, qui nunc te ab armis Romanis protegit, qui tuam senectutem obligatam & obnoxiam adolescentiæ suæ esse æquum censet. Pro isto Romani stant, pro isto omnes vrbes tuo imperio liberatæ: pro isto Macedones, qui pace Romana gaudent. Mihi præter te, pater, quid vsquam aut spei, aut præsidii est? Quò spectare illas literas ad te nunc missas T. Quintii credis, quibus & bene te consuluisse rebus tuis ait quòd Demetrium Romam miseris: & hortatur ut iterum, & cum pluribus legatis, & primoribus quoque Macedonum remittas eum? T. Quintius, qui nunc est autor omnium rerum isti & magister, eum sibi, te abdicato patre, in locum tuum substituit: illic ad te omnia clandestina concepta sunt consilia: quærantur adiutores consilii, quum te plures & principes Macedonum cum isto mittere iubet. Qui hinc integri & sinceri Romam eunt, Philippum regem se habere credentes, imbuti illinc & infecti Romanis delinimentis redeunt. Demetrius iis vnus omnia est: eum iam regem viuo patre appellat. Hæc si indignor, audiendum est statim non ab aliis solum, sed etiam à te, pater, cupiditatis regni crimen. Ego verò, si in medio ponitur, nõ agnosco, quem enim suo loco moueo, ut ipse in eius locum succedam? Vnus ante me pater est, & ut diu sit, deos rogo: superstes ei ita sim, si merebo, ut ipse me esse velit. Hæreditatè regni si pater tradet, accipiam. Cupit regnum, & quidem sceleratè cupit, qui transcendere festinat ordinem ætatis, naturæ, moris Macedonum, iuris gentium. Obstat frater maior, ad quem iure, voluntate etiam patris, regnum pertinet. Tollatur: non primus regnum fraterna cæde petiero, pater senex & filio solus orbatus de se magis timebit, quàm ut filii necem vlcisatur. Romani latibuntur, probabunt, defendent factum. Hæc spes incertæ, pater, sed non inanes sunt. ita enim res se habet, periculum vitæ propellere à me potes, puniendo eos qui ad me interficiendum ferrum sumpserunt: si facinori eorum successerit, mortem meam idem tu persequi non poteris.

ORATIO DEMETRII, PARRICIDII REI.

OMnia quæ reorum antea fuerant auxilia, pater, præoccupavit accusator: simulatque lacrymis in alterius perniciem, veras meas lacrymas suspectas tibi fecit. quum ipse ex quo ab Roma redii, per occulta cum suis colloquia dies noctesque insidietur vltro mihi: nunc non insidiatoris modo, sed latronis manifesti & percussoris speciem induit. Periculo suo te exterrêt, vt innoxio fratri per eundem te maturet perniciem. Perfugium sibi nusquam gentium esse ait, vt ego ne apud te quidem spei quicquam reliqui habeam. Circumuentum, solum, inopem, inuidia gratiæ externæ, quæ obest potius quam prodest, onerat. Iam illud; quàm accusatoriè, quòd noctis huius crimen miscuit cum cætera infectatione vitæ meæ? vt hoc quod iam quale sit scies, suspectum alio vitæ nostræ tenore faceret, & illam vanam criminationem spei, voluntatis, consiliorum meorum, nocturno hoc ficto & composito argumento fulciret: simul & illud quæsiuit, vt repentina minimèque præparata accusatio videretur, quippe ex noctis huius metu & tumultu repentino exorta. Oportuit autem, Perseu, si proditor ego patris regni que eram, si cum Romanis, si cum aliis inimicis patris inieram consilia, non expectatâ fabulam noctis huius esse, sed proditiõis meæ antè me accusatum: si illa separata ab hac vana accusatio erat, inuidiam quæ tuam aduersus me magis quam crimen meum indicatura, hodie quoque eam aut prætermitti, aut in aliud tempus differri, vt perspiceretur vtrum ego tibi, an tu mihi nouo quidem & singulari genere odii insidias fecisses. Ego tamen, quantum in hac subita perturbatione poterò, separabo ea quæ tu confundisti, & noctis huius insidias aut tuas aut meas detegam. Occidendi sui consilium me iniisse videri vult, vt scilicet maiore fratre sublato, cuius iure gentium, miore Macedonum, tuo etiam (vt ait) iudicio regnum futurum est, ego minor in eius quem occidissem succederem locum. Quid ergo illa sibi vult pars altera orationis, qua Romanos à me cultos ait, atque eorum fiducia in spem regni me venisse? Nam si & in Romanis tantum momenti esse credebam, vt quem vellent imponerent Macedonia regem, & meæ tantum apud eos gratiæ confidebam, quid opus parricidio fuit? an vt cruentum fraterna cæde diadema gererem? vt illis ipsis, apud quos aut vera aut certè simulata probitate partam gratiam habeo (si quam fortè habeo) execrabilis & inuisus essem? Nisi T. Quintium credis, cuius virtute & consiliis me nunc arguis regi, quum & ipse tali pietate viuat cum fratre, mihi fraternæ cædis fuisse autorem. Idem non Romanorum solum gratiam, sed Macedonum iudicia, ac penè omnium deorum hominumque consensum collegit, per quæ omnia se mihi parem in certamine non futurum crediderit: idem, tanquam in aliis omnibus rebus inferior essem, ad sceleris spem vltimam confugisse me insimulat. Vis hanc formulam cognitionis esse, vt vter timuerit ne alter dignior videretur regno, is consilium opprimendi fratris cepisse iudicetur? Exequantur tamen quocumque modo conficti ordinem criminis. Pluribus modis se petitem criminatus est, & omnes insidiarum vias in vnum diem contulit. Volui interdum eum post lustrationem, quum concurrimus, & quidem (si diis placet) lustrationum die occidere: volui, quum ad cœnam inuitavi, veneno scilicet tollere: volui, quum comessatum gladiis accincti me sequuti sunt, ferro interficere. Tempora quidem qualia sint ad parridium electa, vides, lusus, conuiuium, comessationis. Quid dies? qualis: quo lustratus exercitus, quo inter diuisam victimam prælatis omnium qui vnquam fuere Macedonia regum armis, reges duo solito more tua regeles latera, pater, præuecti sumus, & sequutum est Macedonum agmen. Hoc ego, etiam si quid antè admissem piaculo dignum, lustratus & expiatus sacro, tum quum maximè in hostiam itineri nostro circūdatam intuens, parridium, venena, gladios in comessationem præparatos volutabam in animo, vt quibus aliis deinde sacris contaminatam omni scelere mentem expiarem? Sed cæcus criminandi cupiditate animus, dum omnia suspecta efficere vult, aliud alio confundit. Nam si veneno te inter cœnam tollere volui, quid minus aptum fuit quam pertinaci certamine & concursu iratum te efficere, vt meritò, sicut fecisti, inuitatus ad cœnam, abnueres? Quum autem iratus negasses, vtrum vt placarem te danda opera fuit, vt aliam quærerem occasionem, quoniam semel venenum paraueram? an ab illo consilio velut transiliendum ad aliud fuit, vt ferro te, & quidem eo die, per speciem comessationis occiderem? Quo deinde modo, si te metu mortis credebam cœnam euitasse

meam, non ab eodem metu comeffationem quoque euitaturum existimabam? Non est res qua erubescam, pater, si die festo inter æquales largiore vino sum vsus. Tu quoque velim inquiras qua lætitia, quo lusu apud me celebratum hesternum conuiuium sit: illo etiam (prauo forsitan) gaudio prouehente, quod in iuuenili armorum certamine pars nostra non inferior fuerat: miseria hæc & metus crapulam facillè excusserunt. quæ si non interuenissent, insidiatores nos sopiti iaceremus. Si domum tuam expugnaturus, capta domo dominum interfecturus eram, non temperassem vino in vnum diem? non milites meos abstinuisssem? Et ne ego me solum nimia simplicitate tuear, ipse quoque minime malus ac suspicax frater, Nihil aliud scio, inquit, neque arguo, nisi quod cum ferro comeffatum venerunt. Si quæram, vnde id ipsum scias, necesse erit te fateri aut speculatorum tuorum plenam domum fuisse meam, aut illos ita aperte sumpsisse ferrum vt omnes viderent. Et nequid ipse aut prius inquisisse, aut nunc criminose argumentari videtur, te quærere ex iis quos nominasset, iubebat, an ferrum habuissent: vt tanquam in re dubia, quum id quæsisset quod ipsi fatentur, pro conuictis haberentur. Quin tu illud quæri iubes num tui occidendi causa ferrum sumpserint? num me autore & sciente? Hoc enim videri vis, non illud quod fatentur, & palam est, & sui se tuendi causa sumpsisse dicunt. Rectè an perperam fecerint, ipsi sui facti rationem reddent: meam causam, quæ nihil eo facto contingitur, ne miscueris: aut explica vtrum aperte an clam te aggressuri fuerimus. Si aperte, cur non omnes ferrum habuimus? cur nemo præter eos qui tuum speculatorem pulsarunt? Si clam, quis ordo consilii fuit? Conuiuio soluto, quum comeffator ego discessissem, quatuor substitissent, vt sopitum te aggredierentur? Quomodo fefellissent & alieni & mei & maxime suspecti, quia paulo antè in rixa fuerant? Quomodo autem trucidato te, ipsi euasuri fuerint? quatuor gladiis domus tua capi & expugnari potuit? Quin tu ommissa ista nocturna fabula, ad id quod doles, quod inuidiam vrit, reuerteris? Cur vsquam regni tui mentio fit, Demetri? Cur dignior patris fortunæ successor quibusdam videris quàm ego: cur spem meam, quæ, si tu non esses, certa erat, dubiam & sollicitam facis? Hæc sentit Perseus, etsi non dicit: hæc istum inimicum, hæc accusatorem faciunt: hæc domum, hæc regnum tuum criminibus & suspicionibus replent. Ego autem, pater, quemadmodum nec nunc sperare regnum, nec ambigere vnquam de eo forsitan debeam, quia minor sum, quia tu me maiori cedere vis: sic illud nec debui facere, nec debeo, vt indignus te patre, indignus omnibus videar. Id enim vitiis meis, non cedendo cui ius falsque est, hoc modestia consequar. Romanos obiicis mihi, & ea quæ gloriæ esse debent, in crimen vertis. Ego nec obses Romanis vt traderer, nec vt legatus Romam mitterer, à te petii: missus, ire non recusavi: vtroque tempore ita me gessi, ne tibi pudori, ne regno tuo, ne genti Macedonum esssem. Itaque mihi cum Romanis amicitia causa tu fuisti, pater: quoad tecum illis pax manebit, mecum quoque gratia erit. Si bellum esse cœperit, qui obses, qui legatus pro patre non inutilis fui, idem hostis illis acerrimus ero. Nec hodie vt profit mihi Romanorum gratia, postulo: ne obsit, tantum deprecor. nec in bello cœpit, nec ad bellum referuetur. Pacis pignus fui, ad pacem retinendam legatus missus sum: neutra res mihi nec gloriæ nec crimini sit. Ego, siquid impiè in te, pater, siquid sceleratè in fratrem admisi, nullam deprecor pœnam. Si innocens sum, ne inuidia conflagrem, quum crimine non possim, deprecor. Non hodie me primum frater accusat, sed hodie primum aperte, nullo meo in se merito. Si mihi pater succenseret, te maiorem fratrem pro minore deprecari oportebat: te adolescentiæ, te errori veniam impetrare. In eo vbi præsidium esse oportebat, ibi exitium est. E conuiuio & comeffatione propè semisomnus raptus sum ad causam parricidii dicendam: sine aduocatis, sine patronis ipse pro me dicere cogor. Si pro alio dicendum esset, tempus ad meditandum & ad componendam orationem sumpsissem, quum quid aliud quàm ingenii fama periclitarer? Ignarus quid accersitus esssem, te iratum, te iubentem dicere causam, fratrem accusantem audiui. Ille diu antè præparata, meditata in me oratione est vsus: ego id tantum temporis quo accusatus sum, ad cognoscendum quid ageretur, habui. Vtrum illo momento horæ accusatorem audirem? an defensionem meditarer? Attonitus repentino atque inopinato malo, vix quid obiiceretur, intelligere potui: nedum satis sciam quomodo me tuear. Quid mihi spei esset, nisi patrem iudicem haberem? apud quem, etiamsi à fratre charitate vincor, misericordia certè reus

vinci non debeo. Ego enim vt me mihi tibi que serues precor: ille vt me in seueritatem suam occidas postulat. Quid eum, quum regnum ei tradideris, facturum credis in me esse, qui iam nunc sanguine meo sibi indulgeri æquum censet?

ORATIO T. SEMPRONII PRÆTORIS
ad L. Minutium legatum.

ARGUMENTVM.

L. Minutius legatus, & duo tribuni militum regressi Romam ex Hispania, nūtiarant senatui quæ prosperè ac feliciter illic gesta erant. inter alia duo secunda prælia, Celtiberorum deditionem, confectam prouinciam esse. Id tamen postularant, vt Q. Fuluius inde exercitum deducere liceret. milites enim iam vltra in ea prouincia retineri non posse, alioqui iniussu abituros esse, aut certè seditionem moturos. T. erat Sempronius prætor, cui ea prouincia decreta erat. Is, ne quid faceret quod è rep. non videretur, iam ex Minutio ipso quærit quidnam sentiat ea in re faciendum.

Quæro de te, L. Minuti, quum confectam prouinciam nunties, existimè sine Celtiberos perpetuò in fide mansuros, ita vt sine exercitu ea prouincia obtineri possit. Si neque de fide barbarorum quicquam recipere aut affirmare nobis potes, & habendum illic vti que exercitum censes, vtrū tandem autor senatui sis, supplementum in Hispaniam mittendi: vt ii modò quibus emerita stipendia sint milites dimittantur, veteribus militibus tyrones immisceantur: an deductis de prouincia veteribus legionibus, nouas conscribendi & mittendi: quum contemptum tyrocinium etiam mitiores barbaros excitare ad rebellandum possit: di&tu quàm re facilius sit prouinciam ingenio ferocem rebellatricem confecisse. Pauca ciuitates, vt quidem ego audio, quas vicina maximè hyberna premebant, in ius deditionem que venerunt: vltiores in armis sunt. Quæ quum ita sint, ego iam hinc prædico, P. C. me exercitu eo qui nunc est, rempub. administraturum: si deducat secum Flaccus legiones, loca pacata me ad hybernacula electurū, neque nouum militem ferocissimo hosti obiecturum.

ORATIO Q. CAECILII METELLI AD
M. Lepidum & M. Fuluium censores declaratos,
de reconciliatione.

ARGUMENTVM.

M. Æmilius Lepidus, pontifex maximus, & M. Fuluius graues iam sæpe ac diu antè inuicem exercuerant inimicitias, quum omnium tribuum cōsensu creati censores fuere. Declarati quum nihilo magis redirent in gratiam, quàm ante communem magistratum: id ægrè passi primores senatorum, ad eos ad aram Martis dimissis comitiis pro more confidentes, veniunt: inter quos Q. Metellus pro omnibus vnus in hæc verba ad reconciliationem eos deducere ac reuocare conabatur.

Non oblitus sumus, censores, vos paulo antè ab vniuerso populo Rom. moribus nostris prepositos esse, & nos à vobis & admoneri & regi, non vos à nobis debere. Indicandum tamen est quid omnes bonos in vobis aut offendat, aut certè mutatum malint. Singulos quum intuemur, M. Æmili, M. Fului, neminem hodie in ciuitate habemus, quem, si reuocemur in suffragium, velimus vobis prælatum esse. Ambos quum simul aspiciamus, non possumus non vereri ne malè comparati sitis, nec tantum reip. proficit quòd omnib⁹ nobis egregiè placetis, quàm, quòd alter alteri displicetis, noceat. Inimicitias per annos multos vobis ipsis graues & atroces geritis: quæ periculum est ne ex hac die nobis & reip. quàm vobis grauiore fiat. De quibus causis hoc timeamus, multa succurrūt quæ dicerentur, nisi fortè implacabiles vestra iræ implicauerint animos vestros. Has vt hodie, vt in isto templo finiat simul tates, quæ sumus vos vniuersi: & quos coniunxit suffragiis suis populus Romanus, hos etiam recōciliatione gratiæ coniungi à nobis sinatis: vno animo, vno consilio eligatis senatum, equites recenseatis, agatis censum, lustrum cōdatis: quod in omnibus ferè precationibus nuncupatis his verbis, Vt ea res mihi collegæ que meo bene & feliciter eueniat, id ita, vt verè, vt ex animo velitis euenire: efficiatū que vt quod deos precati critis, id vos velle etiam homines credamus. T. Tatius & Romulus, in

cuius vr̄bis medio foro acie hostes concurrerant, ibi concordēs regnarunt. Non modò similtates, sed bella quoque finiuntur: ex infestis hostibus plerunque socii fideles, interdū etiam ciues fiunt. Albani diruta Alba Romam traducti sunt: Latini, Sabini in ciuitatem accepti. Vulgatum illud, quia verum erat, in prouerbiū venit, Amicitias immortales, inimicitias mortales debere esse.

ORATIO PHILIPPI REGIS MACE- donum ad Antigonom de regni hæreditate.

ARGVMENTVM.

Perseus, maior Philippi liberorum, non æquo animo ferēs, audita inuicem accusatione ac defensione parricidii, à patre de ea re iudicium in aliud tempus dilatum esse, vbi disquisitionibus atque inquisitionibus in vitam & mores vtriusque cōpertum esset yter culpandus foret: nec diē nec nocte quicquam prætermittebat quod ad augendā suspicionem, finiendāque quamprimū disceptationem pertineret. Ac eius (puto) importunitate ac querelis pater rex victus, Romam legatos duos, quos in neutram partem inclinare putabat, re vera Persei fautores, mittit, qui de iis ipsis quæ in Demetrium congesta crimina erant, cognoscerent. Ii erant Philocles & Apelles: qui Roma in Macedoniam regressi, literas falsas adulterino T. Quintii signo notatas regi reddiderunt, quibus facile apparebat crimina Persei in fratrem iacta, vera esse. Tum verò Perseus iam victoriam propè in manibus cernens, rursus fratrem apud patrem accusat: quo quidem iudicio nihil palam cōtra reum pronuntiatum, vt dolo potius interficeretur. Itaque ab Theſsalonica Demetriadem profecturus Philippus, Dida quodam prætorē, qui Persei partium erat, comite, Demetrium ad Aſtreum Pæoniæ oppidum mittit. Nec abest suspicio quin ei Didæ digredienti de filio occidendo mandata pater dederit. Profecti ab Aſtreo Heracleam, cum aliis cœnam illic hilariter celebrant: quo in conuiuio epoto veneno, non ita multo post & patris crudelitatem, & fratris parricidium, & Didæ scelus conquerens innoxius inuenis absumptus est. Exinde pater rex comperta morte, conscientia scelerum premente, vitam tristem ac miserabilem egit. Iam Antigonus erat Antigoni alterius (Philippi tutor fuerat) nepos, qui amicus Philippi permanerat. Is per inuidiam legatorum supra nominatorum, qui literis falsis confirmant crimina Persei in fratrem, Demetrio occiso, animo suo proponens, mortuo quoque patre magnum sibi à Perseo periculum fore, Philippum quotidie sollicitabat ad veritatem criminis explorandam. Ac forte Xychus consilii particeps, quum ipsi obuius egredienti à Philippo foret, eius indicio ad Philippum vt conscius defertur. Adductus, paruometu iniecto ordinem omnem facinoris exponit. De legatis sumptum supplicium. Detectas esse fraudes audiens Perseus, non temere se patri committere ausus, procul inde abfuit. Philippus deinde per occasionem Antigono voluntatem suam de regni hæreditate, quam ad eum se mortuo venturam destinabat, in hæc verba declarauit,

Quando in eam fortunam veni, Antigone, vt orbitas mihi, quam alii detestantur parentes, optabilis esse debeat: regnum quod à patruo tuo, forti non solum fidelitute eius custoditum & auctum etiam accepi, id tibi tradere in animo est. Te vnum habeo quem dignum regno iudicem: si neminem haberem, perire & extingui id malletm quam Perseo scelestæ fraudis præmium esse. Demetrium excitatum ab inferis, restitutumque credam mihi, si te, qui morti innocentis, qui meo infelici errori vnus illacrymastis, in locum eius substitutum relinquam.

Ex quadragesimoprimo libro ab vrbe condita.

ORATIO CALLICRATIS ACHAEI aduersus Perseum.

ARGVMENTVM.

Altius repetenda est priorum temporum ratio. Persens, qui patris Philippi fugiens conspectum in Thracia erat, per medicum qui curationi Philippi præerat, eo ipso tempore quo desperationis notæ apparuerant, de patris morte factus est certior. Eo nuntio lætus factus, quanta maxima celeritate potuit in Macedoniam rediit. Ita præter omnium propè opinionem & expectationem regno potitur: ac primo quoque tempore legatos Romam mittit, non solum ad amicitiam paternam renouandam, sed ad petendum quoque vt rex appellaretur. Sollicitabat inde ad bellum suorum animos, mixtisque inter Dardanos, Bæstarnasque certaminibus, facile apparebat ex iis quæ legati Romanorum retulerant, breui oriturum bellum: quum Romam ipse legatos mittit qui purgarent nec accitos ab eo Bæstarnas, nec eo autore quicquam facere. Romani excusationem non acceperunt, tantumque moneri per legatos iussus est vt sœdus renouatum nõ violaret. Fortè per eos diēs qui-

dam Dolopum iam parere imperio eius abnuebant, ita ut si quibus fortè de rebus discipulatum esset, ab eo ad Romanos reuocarent. Ipse cum exercitu profectus eam totam gentem sub ius iudiciumque suum coegit. Inde per Cetaos montes transgressus, religionibus quibusdam animo iniectis, oraculum aditurus, Delphos ascendit. Terror omnium ad quos fama eius transitus peruenerat, mentes occupauerat ne bellum inferre vellet. Is tamen illic tres dies commoratus, per Achaiam Thessaliamque, sine damno & iniuria agrorum per quos iter fecit, in Macedoniam regressus est. Exinde cogitare coepit, omnium earum gentium quibuscum patri regi similitates fuerant, societatem & amicitiam conciliandam esse. Fortè paucis antè diebus Achæi Macedonibus finibus suis interdixerant: quo propè tempore seruitia eius gentis in Macedoniam fugerant. Itaque iam tempus venisse ratus Perseus reconciliandæ gratiæ cum Achæis, comprehensos seruos remisit cum literis, quibus, ut facile apparet ex concione proxima (nam hoc loco sensus nonnulli apud Liuium desiderantur) societatem repetebat. Iam tum factiones Achæorum erant duæ: Xenarchus prætor pro Perseo stabat: Callicrates, aduersarius. Itaque quæ ab Xenarcho prætore eæ ipsæ literæ recitata forent, tum Callicrates in hæc verba inuiolatum foedus Romanis seruandum esse, non societatem cum Perseo iungendam suavit: quæ deinde Xenarchus refutat.

Parua aut mediocris res, Achæi, quibusdam videtur agi: ego maximè grauissimam omnium non agi tantum arbitror, sed quodammodo actam esse. Nam qui regibus Macedonum, Macedonibusque ipsis finibus interdixissemus, manereque id decretum volumus, scilicet ne legatos, ne nuntios admitteremus regum, per quos aliquot ex nobis animi sollicitarentur: ii concionantem quodammodo absentem audimus regem, & (si diis placet) orationem eius probamus: & quum feræ bestiæ cibum ad fraudem suam positum plerumque aspernentur & refugiant, nos cæci specie parui benefici inescamur, & seruulorum minimi pretii recipiendorum spe, nostram ipsorum libertatem subruere & tentari patimur. Quis enim non videt viam regis societatis queri, qua Romanum foedus, quo nostra omnia continentur, violetur? Nisi hoc dubium alicui est, belladum Romanis cum Perseo esse: & quod viuo Philippo expectatum, morte eius interpellatum est, id post mortem Philippi futurum. Duos (ut scitis) habuit filios Philippus, Demetrium, & Persea. Genere materno, virtute, ingenio, fauore Macedonum longè præstitit Demetrius: sed quia in Romanos odii regnum posuerat præmium, Demetrium nullo alio crimine quam Romanæ amicitiae initæ occidit: Persea, quem populus Rom. prius penè quam regni hæredem futurum sciebat, regem fecit. Itaque quid hic post mortem patris egit aliud quam bellum parauit? Bastarnas primum ad terrorem omnium Dardaniam immisit: qui si sedem eam tenuissent, grauiores eos accolæ Græcia habuissent quam Asia Gallos habeat. Ea spe depulsus, non tamen belli consilia omisit: imò (si vera volumus dicere) iam inchoauit bellum. Dolopiam armis subegit: nec prouincias de cõtrouersis ad disceptationem populi Rom. reuocantem audiuit. Inde transgressus Oetam, ut repente in medio umbilico Græciæ cõspiceretur, Delphos ascendit. Hæc usurpatio itineris insoliti quod vobis spectare videtur: Thessaliam deinde peragravit, quod sine vllius eorum quos oderat noxia, hoc magis tentationem metuo. Inde literas ad nos cum muneris specie misit: & cogitare iubet quomodo in reliquum hoc munere non egeamus, hoc est, ut decretum quo arcentur Peloponneso Macedones, tollamus: rursus legatos regibus, & hospitia cum principibus, & mox Macedonum exercitus, ipsum quoque à Delphis (quantum enim interluit fretum?) traicien-tem in Peloponnesum videamus: immisceamur Macedonibus armantibus se aduersus Romanos. Ego nihil noui censeo decernendum, seruandaque omnia integra, donec ad certum dirigantur, vanusne hic timor noster an verus fuerit. Si pax inuiolata inter Macedonas Romanosque manebit, nobis quoque amicitia & commercium sit: nunc de eo cogitare periculosum & immaturum videtur.

ORATIO FRATRIS XENARCHI PRÆTORIS Achæorum pro Perseo refutatoria.

Difficilem orationem Callicrates & mihi & omnibus qui ab eo dissentimus, fecit. Agendo enim Romanæ societatis causam ipse, tentarique & oppugnari dicendo, (quæ nemo neque tentat, neque oppugnat) effecit ut qui abs se dissentiret, aduersus Romanos dicere videretur. Ac primum omnium tanquam non hic nobiscum fuisset, sed aut ex curia populi Romani veniret, aut regum arcanis interesset, omnia scit & nuntiat quæ occultè facta sunt: diuinat etiam quæ futura fuerant si Philippus vixisset: quod ita Perseus

regni hæres sit, quid parent Macedones, quid cogitent Romani. Nos autem qui nec ob quam causam, nec quemadmodum perierit Demetrius, scimus, nec quid Philippus, si vixisset, facturus fuerat, ad hæc quæ palam geruntur, consilia nostra accommodare oportet. Ac scimus Persea, regno accepto, ad legatos Romanos venisse, ac regem Persea à populo Rom. appellatū: audiuius legatos Romanos venisse ad regē & eos benignè exceptos. Hæc omnia pacis equidem signa esse iudico, nō belli: nec Romanos offendi posse, si, vt bellum gerētes eos sequuti sumus, nunc quoque pacis autores sequamur. Cur quidem nos inexpiabile omnium soli bellum aduersus regnum Macedonum geramus, nō video. Opportuni propinquitate ipsa Macedonia sumus: an infirmissimi omnium, tanquam quos nuper subiecit Dolopes? Imò contra ea vel viribus nostris deūm benignitate, vel regionis interuallo tuti. Sed sumus æquē subiecti ac Thessali AEtoliq̄. Nihil plus fidei autoritatīsq̄ habemus aduersus Romanos, qui semper focii atque amici fuimus, quàm AEtoli, qui paulo antè hostes fuerūt. Quod AEtolis, quod Thessalis, quod Epirotis, omni denique Græciæ cum Macedonibus iuris est, idem & nobis sit. Cur execrabilis ista nobis solis velut desertio iuris humani est? Fecerit aliquid Philippus cur aduersus eum armatum & bellum gerentem hoc decerneremus: quid Perseus, nouus rex, omnis iniuriæ insons suo beneficio paternas simultates obliterans meruit? cur soli omnium hostes ei sumus? Quam quā & illud dicere poterā, tāta priorū Macedonia regū merita erga nos fuisse, vt Philippi vnus iniurias, siquæ fortè fuerūt obliuisceremur, vtique post mortē. Quū classis Romana Cencreis staret, cōsul cū exercitu Elatiæ esset, triduum in concilio fuimus, consultantes vtrum Romanos an Philippū sequeremur. * Nonnihil metus præsens ab Romanis sententias nostras inclinari: fuit certè tamen aliquid quod tam longam deliberationem fecerat: id quod erat vetusta coniunctio cum Macedonibus, vetera & magna in nos regū merita. Valeant & nunc eadem illa, non vt præcipuè amici, sed ne præcipuè inimici simus: ne id quod non agitur, Callicrates, simulauerimus. Nemo nouæ societatis, aut noui fœderis, quo nos temere illigemus, conscribendi est autor: sed commercium tantum iuris præbendi repetendiq̄ sit, ne interdictione finium nostrorum, & nos quoque regno arceamus, ne seruis nostris aliquò fugere liceat. Quid hoc aduersus Romana fœdera est? Quid rem paruam & apertam, magnam & suspectam facimus? Quid vanos tumultus ciemus? Quid vt ipsi locum assentandi Romanis habeamus, suspectos alios ac inuisos efficiamus? Si bellum erit, ne Perseus quidē dubitat quin Romanos sequuturi simus: in pace, etiamsi non odia finiuntur, intermittantur.

Ex quadagesimo secundo libro ab vrbe condita.

ORATIO EUMENIS REGIS,
in senatu.

ARGUMENTVM.

Persea, regem Macedonum, & à multis & ipsi Romani missis in Macedonia legatis in eam rem, sed alia specie, bellum summa vi apparare audiuerant. Eumenes erat rex, cui à senatu maximus honos, adiectis ipsius regno finitimis regionibus, habit⁹ erat. Ob hæc Romanorū in se merita, ad fidē pertinere suā ratus videre nequid Romani caperēt detrimenti, ea præsertim re cui suo iudicio obfisti ab iis posset: Romā veniens, nuntiauit quidnam Perseus moliretur, & quā ille fiducia tentare vellet. Postremò in hæc verba rem totam confirmauit,

NON ego hæc incertis iactata rumoribus, & cupidius credita, quia vera esse de inimico crimina volebam, affero ad vos P.C. sed comperta & explorata, haud secus quam si speculator missus à vobis subiecta oculis referrem. Neque relicto regno meo, quod amplū & egregiū vos fecistis, mare tātū traiecissem, vt vana ad vos afferēdo, fidē abrogarē mihi. Cernebā nobilissimas Asiæ & Græciæ ciuitates in dies magis denudātes iudicia sua, mox si permitteretur, eò processuras vnde receptum ad poenitendum non haberent. Cernebā Persea non continentem se Macedonia regno, alia armis occupātem, alia quæ vi subigi non possunt, fauore ac beneuolentia complectentem. Vide, iam quam impar esset fors, quum ille vobis bellum, vos ei securam pacem præstaretis, quumquam mihi quidem non parare sed gerere penè bellum videbatur. Abrupolim socium atque amicū

vestrum regno expulit. Artetarum Illyrium, quia scripta ab eo quaedam vobis comperit, socium ite atque amicum vestrum interfecit. Euerfam & Callicritum Thebanos, principes civitatis, quia liberius aduersus eum in concilio Boeotorum loquuti fuerant, delaturumque ad vos quae agerentur professi erant, tollendos curauit. Auxilium Byzantiis aduersus foedus tulit. Dolopiae bella intulit. Thessaliam & Doridem cum exercitu peruasit, ut in bello intestino, deterioris partis auxilio meliorem affligeret. Confudit & miscuit omnia in Thessalia Perrhaebiaeque spe nouarum tabularum, ut manu debitorum obnoxia sibi optimates opprimeret. Haec quum vobis quiescentibus & patientibus fecerit, & concessam sibi Graciam esse a vobis videat, pro certo habet neminem sibi, antequam in Italiam traicerit, armatum occursum. Hoc quam vobis tutum aut honestum sit, vos videritis: ego certe mihi turpe esse duxi prius Persea ad bellum inferendum, quam me socium ad praedicendum ut caueretis, venire in Italiam. Functus necessario mihi officio, & quodammodo liberata atque exonerata fide mea, quid ultra facere possum, quam uti deos deasque precer ut vos & vestrae reip. & nobis sociis atque amicis, qui ex vobis pendemus, consulatis?

ORATIO SP. LIGUSTINI CENTURIONIS ad populum, ne ipsi ordo inferior assignaretur.

ARGUMENTVM.

P. erat Licinius consul cui Macedonia prouincia obuenerat: is ex autoritate Patrum legiones in Macedoniam contra Persea educturus, tribunis militum curam mandauerat citandi veteres quosque milites & centuriones. Iam illi centuriones, sed qui primos pilos alios duxissent, citabant, quum ex iis qui citati erant, tres & viginti tribunos pleb. appellarunt. Agebatur res ad subsellia tribunorum, quod M. Popilius, qui biennio ante consul fuerat, veniens, pro centurionibus verba fecit. Licinius consul pro se ipse senatusconsultum recitari iussit, quo inter alia hoc quoque continebatur, ut veteres centuriones ad bellum Macedonicum scriberentur, nec ulli qui maior annis quinquaginta non esset, vacatio militiae concederetur. Itaque deprecabatur ne a quoquam prohiberetur assignare quem cuique ordinem ex repub. videretur. Sp. Ligustinus erat ex iis qui tribunos pleb. appellarat. Is, postquam consul quae voluerat dixit, a consule & tribunis petiit ut sibi aliquid ad populum agere liceret. Omnibus permittentibus, in hanc sententiam causam suam egit,

Spurus Ligustinus tribus Crustuminae ex Sabinis sum oriundus, Quirites. Pater mihi iugerum agri reliquit, & paruum tugurium, in quo natus educatusque sum, hodieque ibi habito. Quum primum in aetatem veni, pater mihi uxorem fratris sui filiam dedit, quae secum nihil attulit praeter libertatem, pudicitiamque: & cum his foecunditatem quanta vel in diti domo satis esset. Sex filii nobis, duae filiae sunt: vtraque iam nuptae. Filii togas viriles habent, duo praetextati sunt. Miles sum factus P. Sulpitio, C. Aurelio, consulibus. In eo exercitu qui in Macedoniam est transportatus, biennium miles gregarius fui aduersus Philippum regem: tertio anno virtutis causa mihi T. Quintius Flaminus decimum ordinem hastatum assignauit. Deuicto Philippo Macedonibusque, quum in Italiam portati ac dimissi essemus, continuo miles voluntarius cum M. Porcio consule in Hispaniam sum profectus. Neminem omnium imperatorum qui viuant, acriorem virtutis spectato rem ac iudicem fuisse sciunt qui & illum & alios duces longa militia experti sunt. Hic me imperator dignum iudicauit, cui primum hastatum prioris centuriae assignaret. Tertio iterum voluntarius miles factus sum in eum exercitum qui aduersus Aetolos & Antiochum regem est missus: a M. Caelio mihi primus princeps prioris centuriae est assignatus. Expulso rege Antiocho, subactis Aetolis, reportati sumus in Italiam, & deinceps bis, quae annua merebant legiones stipendia feci. Bis deinde in Hispania militavi, semel Q. Fulvio Flacco, iterum T. Sempronio Graccho praetore: a Flacco inter caeteros quos virtutis causa fecum ex prouincia ad triumphum deducebat, deductus sum: a T. Graccho rogatus in prouinciam ii. Quater intra paucos annos primum pilum duxi: quater & tricies virtutis causa donatus ab imperatoribus sum: sex ciuicas coronas accepi. xxxii stipendia annua in exercitu emerita habeo, & maior sum annis quinquaginta. Quod si mihi nec stipendia omnia emerita essent, necdum aetas vacationem daret, tamen quum quatuor milites pro me vno vobis, P. Licini, possem, a quum erat me dimitti. Sed haec pro causa mea dicta accipiatis vobis: ipse me, quoad quisquam qui exercitus scribit, idoneum militem iudicabit,

nunquam sum excusaturus. Ordinem quo me dignum iudicent tribuni militum, ipsorum est potestatis: ne quis me virtute in exercitu præstet, dabo operam ut semper ita fecisse me & imperatores mei & qui vnà stipendia fecerunt, testes sunt. Vos quoque æquum est, com miliones, & si appellationis vobis vsurpatis ius, quū adolefcētes nihil aduersus magistratum tuum senatūque autoritatem vsquam feceritis, nunc quoque in potestate senatus ac consulum esse: & omnia honesta loca ducere quibus remp. defensuri sitis.

ORATIO Q. MARTII, LEGATI ROMANI, ad Persea regem Macedonum.

ARGUMENTVM.

Quo propè tempore in Macedoniam P. Licinius consul, cū ea prouincia obuenerat, legiones transportare parabat, quinque legati, in quibus Q. Martius & A. Atilius erant, missi in Græciam. Ii regiones ad quas profecturi erant, ita inter se diuiserant cum militibus, ut Martio & Atilio Epirus, Aetolia & Thessalia circumeundæ assignarentur, vnde in Bœotiam & Eubœam transirent: inde verò in Peloponnesum traicerent. Iam priusquam à Corcyra digredērentur legati, à Perseo allatæ erant literæ, quibus inter alia ille quærebat quænam esset causa Romanis in Græciam traiciendi copias, aut vrbes occupandi. Iis nullum responsum aliud dare placuit, quàm quòd legatis datum negotium erat ut regi nuntiarent, præsidii tantum causa profectos. Quum verò Martius & Atilius obeuntes regiones attributas, iam in Thessaliam peruenissent, legati rursus à Perseo venerūt, qui facta dicendi potestate petierunt uti regi fieret potestas in colloquium veniendi. Martius non immemor hospitii Philippi regis, non grauatè concessit. Datis itaque obsidibus nihil fraudis facturos Macedonas, confederunt Martius & Perseus: ac prior Martius ita quæ de Perseo iactata erant ab Eumene, retulit. Ea deinde Perseus refutat.

Expectari nos arbitror, ut respondeamus literis tuis quas Corcyram misisti: in quibus quæris quid ita legati cum militibus venerimus, & præsidia in singulas vrbes dimittamus. Ad hanc interrogationem tuam & non respondere, vereor ne superbum sit: & vera respondere, ne nimis acerbum audienti tibi videatur. Sed quum aut verbis castigandus aut armis sit qui fœdus rumpit: sicut bellum aduersus te alii quàm mihi mandatum malim, ita orationis acerbitatē aduersus hospitem, ut cūque est, subibo: sicut medici, quū salutis causa tristiora remedia adhibēt. Ex quo regnū adeptus es, vnā rē te, quæ faciēda fuerit, senatus fecisse censet, quòd legatos Romā ad renouandū fœdus miseris: quod tamē ipsum fuisse tibi nō renouandū iudicat potius, quàm quū renouatū esset, violandū. Abrupolim sociū atq; amicū populi Rom. regno expulisti. Artetari interfectores, ut cæde (ne quid vltra dicā) lætatū appareret, recepisti, qui omnium Illyriorum fidissimum Romano nomini regulum occiderant. Per Thessaliam & Maliensem agrum cum exercitu cōtra fœdus Delphos isti: Byzantiis item contra fœdus misisti auxilia. Cum Bœotis sociis nostris secretam tibi ipsi societatem, quam non licebat, iureiurando pepigisti. Thebanos legatos Eueram & Callitritum venientes à nobis quæreere malo quis interfecerit quàm arguere. In Aetolia bellū intestinum, & cædes principum, per quos nisi per tuos factæ videri possunt: Dolopes à te ipso euastati sunt. Eumenes rex ab Roma quum in regnum rediret, propè ut victima Delphis in sacro loco ante aras mactatus, quem insimulet, piget referre: quæ hospes Brundisinus occulta facinora indicet, certū habeo & scripta tibi omnia ab Roma esse, & legatos tuos renuntiasse. Hæc ne dicerētur à me, vno modo vitare potuisti, non quærendo quam ob causam exercitus in Macedoniam traicerentur, aut præsidia in sociorum vrbes mitteremus. Quærenti tibi superbius tacuissemus quàm vera respondimus. Equidem pro paterno nostro hospitio faueo orationi tuæ, & opto ut aliquam mihi materiam præbeas agendæ tuæ apud senatum causæ.

ORATIO PERSEI QVA AD
ea respondet.

Bonam causam, si apud iudices æquos ageretur, apud eosdem & accusatores & iudices agam. Eorum autem quæ obiecta sunt mihi, partim ea sunt quibus nescio a gloria ri debeam, partim quæ fateri non erubescam, partim quæ verbo obiecta, verbo negare sit. Quid enim si legibus vestris hodie reus sim aut index Brundisinus, aut Eumenes.

mihî obiciat, vt accusare potius verè quàm conuitiari videantur? Scilicet nec Eumenes, quum tam multis grauis publicè ac priuatim sit, alium quàm me inimicum habuit. neque ego potiore quenquam ad ministeria facinorum, quàm Rammium, quem neque vnquam antè videram, nec eram postea visurus, inuenire potui: & Thebanorum quos naufragio perisse constat, & Arterari cædis mihi reddenda ratio est, in qua tamen nihil vltra obiicitur, quàm interfectores eius in regno exulasse meo. Cuius conditionis iniquitatem ita non sum recusaturus, si vos quoque accipitis, vt quicumque exules in Italiam aut Romam se contulerunt, his facinorum propter quæ damnati sunt, autores vos fuisse fateamini. Si hoc & vos recusabitis, & omnes aliæ gentes, ego quoque inter ceteros ero. Et hercule quid attinet cuiquam exilium patere si nusquam exuli futurus locus est? Ego tamen istos, vt primum in Macedonia esse admonitus à vobis comperi, requisitos, ex regno abire iussi, & in perpetuum interdixi finibus meis. Et hæc quidem mihi tanquam causam dicenti reo obiecta sunt: illa tãquam regi, & quæ de fœdere quod mihi est vobiscum, disceptionem habeât. Nam si est in fœdere ita scriptum, vt ne si bellum quidem quis inferat, tueri me regnumque meum liceat: mihi fatendum est, quòd me armis aduersus Abrupolim socium populi Rom. defenderim, fœdus violatum esse. Sini autè hoc & ex fœdere licuit, & iure gentium ita comparatum est vt arma armis propulsentur: quid tandem me face decuit, quum Abrupolis fines mei regni vsque ad Amphipolin peruastasset: multa libera capita, magnam vim mancipiorum, multa milia pecorum abegisset: Quiescerè, & paterer; donec Pellam & in regiam meam armatus peruenisset: Atenim bello quidem iusto sum persequutus: sed vinci non oportuit eum, neque ea quæ victis accidunt, pati: quorum casum quum ego subierim, qui sum armis laceffitus, quid potest queri sibi accidisse qui belli causa fuit: Nò sum eodè modo defensurus, Romani, quod Dolopas armis coercuerim: quia etsi nò merito eorum, iure feci meo, quum mei regni, meæ ditionis essent, vestro decreto patri attributi meo. Nec, si causa reddenda sit nò vobis nec fœderatis, sed iis qui ne in seruos quidem sæua atque iniusta imperia probant, plus æquo & bono sæuissè in eos videri possum. Quippe Euphranorem præfectum à me impositum ita occiderunt, vt mors poenarum eius leuissima fuerit. At quum processissem inde ad vidèdas Larissam & Antrona & Pylleò, quò in propinquo multo antè debita vota persoluerem, Delphos sacrificandi causa ascendi. Et hic criminis augendi causa cum exercitu me fuisse adiicitur: scilicet vt (quod nunc vos facere queror) vrbes occuparem, arcibus imponerem præsidia. Vocate in concilium Græciæ ciuitates, per quas iter feci: si queratur vnus quilibet militis mei iniuriam, non recusabo quin simulato sacrificio aliud petiisse videar. A Etolis & Byzantiis præsidia misimus, & cum Bœotis amicitiam fecimus. Hæc qualiacunque sunt, per legatos meos non solum indicata, sed etiam excusata sunt sæpe in senatu vestro, vbi aliquos ego disceptatores non tam æquos quàm te Q. Marci, paternum amicum & hospitem, habebam. Sed nondum Romam accusator Eumenes venerat, qui calumniando omnia detorquendoque, suspecta & inuisa efficiet, & persuadere vobis conaretur, non posse Græciam in libertate esse & vestro munere frui, quoad regnum Macedoniae incolume esset. Circūagetur hic orbis: erit mox qui arguat nequicquam Antiochum vltra iuga Tauri remotum: grauiorem multo Asia quam Antiochus fuerit, Eumenem esse: nec conuiescere socios vestros posse quoad regia Pergami sit: eam arcem supra capita finitimarum ciuitatum impositam. Ego hæc Q. Marci & A. Atili, quæ aut à vobis obiecta, aut purgata à me sunt, talia esse scio vt aures, vt animi audientium sint: nec tam referre quid ego aut qua mente fecerim, quàm quomodo id vos factum accipiat. Conscius mihi sum, nihil me scientem deliquisse: & siquid fecerim imprudentia lapsus, corrigi me & emendari castigatione hac posse. Nihil certè insanabile, nec quod bello & armis persequendum esse censeatis, commisi: aut frustra clementiæ grauitatisque vestræ fama vulgata per gentes est, si talibus de causis, quæ vix querela & expostulatione dignæ sunt, arma capitis, & regibus sociis bella infertis.

ORATIO PERSEI AD SVOS, DE
victoria contra Romanos,

ARGVMENTVM.

Perseus, quum regressi legati quos purgandi causa Romam autore Q. Martio legato m

ferat, spem pacis omnino præciderent: ad cogitatum iam multo antè bellum animum intendebat. Post paucos inde dies concilio habito, quum fama constaret P. Licinium consulem cum exercitu aduentare, ille inter alia quibus suorum animos præparauerat, facilem victoriam vel ex hoc sibi suisque pollicebatur, & quòd numero & quòd militum genere Romanis præstarent. Ac eò adhortando suos adduxerat, vt sublato clamore cum frequenti assensu magna pars eum bonum modò animum habere iuberet: se paratos alii dicerent quicquid imperasset, impigrè præstare. Ita confirmatis militum animis, ipse ad obsidendas oppugnandasque circà ciuitates cum copiis proficiscitur. Fortè Pheræos agros, qui erant ditionis & regni Eumenis, peruastari ab eo, in castra Romanorum nuntius attulerat. Quo periculo motus ipse Eumenes rem ad P. Licinium consulem desert. Consilium de ea re captum antequam finiretur, affertur hostes magno numero haud procul abesse. Itaque signū extemplo datum. Bis inde congressi, primùm ignari vtri victi aut victores, excessere. Postero die ad eundem locū Perseus castra mouit: tandem manu confertum est. Eo prælio victi Romani, in quo spolia cæforum & multi viui in Persei venere potestatem, quæ inter milites diuisit. Romanos victos non mœstitia modò, sed etiam pauor tenebat, ne extemplo castra hostis aggredieretur. In qua trepidatione consilium attulit Eumenes, si castra trans Peneum amnem transferrètur, in tuto omnia fore. Quod iam factum esse quum Perseus postridie cerneret, peccatum esse grauiter fassus est, quòd pridie victis non institisset, multo tamen magis, quòd nocte foret cessatum. Ille nihilominus elato animo suos ad concionem vocat, ad quos in hunc modum de victoria verba fecit,

PRæiudicatum euentum belli habetis: meliorem partem hostium, equitatum Romanum, quo inuictos se esse gloriabantur, fudistis. Equites enim illis principes iuuentutis, equites seminarium senatus: inde lectos in patrum numerum consules, inde imperatores creant. Horum spolia paulo antè diuisimus inter vos. Nec minorem de legionibus peditum victoriam habetis, quæ nocturna fuga vobis subtrahæ, naufragorum trepidatione passim natantium, flumen compleuerunt. Sed facilius nobis sequentibus victos Peneum superare erit, quàm illis trepidantibus fuit: transgressique extemplo castra oppugnabimus: quæ hodie cepissemus, nisi fugissemus. Aut si acie decernere volent, eundem pedestris pugnæ euentum expectate, qui equitum in certamine fuerit.

Ex quadragesimo quarto libro ab vrbe condita.

ORATIO L. AEMILII PAULI CONSULIS ad populum.

ARGUMENTVM.

Creati erant consules, L. Aemilius Paulus, & C. Licinius Crassus, quorum Paulo Macedonia obuenerat. Extemplo in prouinciam eum profecturū credebāt, decretis omnibus quæ ei bello Macedonico vsui essent: apparebātque omnibus non segniter eum id bellum gesturum, quòd crederetur iam multo antè agitare solere quæ ad ipsum bellum pertineret: quum petit vt legati eò præmitterentur, qui rerum omnium illic statum cognosceret. Ac per paucis inde diebus quum in senatu in expectatione patres essent quidnā ille de prouincia referret, quum nihil se habere dixisset, quòd legati nondum rediissent, sed extemplo nihil fore in mora quin proficisceretur vbi rediissent, interim ciuitatū legationes audiri posse: ille confestim è curia in concionem progressus, ita ad populum de suo imperio verba fecit,

ANimaduertisse videor, Quirites, maiorem mihi sortito Macedoniam prouinciam, gratulationem factam quam quum aut consul essem consalutatus, aut quo die magistratum inissem: neque id ob aliam causam quam quia bello in Macedonia, quod diu trahitur, existimastis dignum maiestate populi Rom. exitum per me imponi posse. Deos quoque huic fauisse sorti spero, eosdèmq; in rebus gerèdis affuturos esse. Hęc partim opinari, partim sperare possum: illud affirmare pro certo habeo audeoque, me omni ope adniscendum esse ne frustra vos hanc spem de me conceperitis. Quæ ad bellum opus sunt, & senatus decreuit, & (quoniam extemplo proficisci placet, neque ego in mora sum) C. Licinius, collega, vir egregius æquè enixè parabit ac si ipse id bellum gesturus esset. Vos quæ scripsero senatui aut vobis, credite: rumores credulitate vestra ne alatis, quorū autor nemo extabit. Nam nunc quidem (quod vulgò fieri hoc præcipuè bello animaduerti) nemo tā famæ contemptor est, cuius non debilitari animus possit. In omnibus circulis atque etiā (si diis placet) in conuiujs sunt qui exercitus in Macedoniam ducant: vbi castra locanda

sint

sint sciant: quæ loca præfidiis occupanda, quando aut quo saltu intranda Macedonia: vbi horrea ponenda: quâ terra marique subuehantur commeatus: quando cum hoste manus conferenda, quando quiescendû sit. Nec quid melius faciendû sit, modò statuût, sed quicquid aliter quàm ipsi censuere factum est, consulem veluti dicta die accusant. Hæc magna impedimenta res gerentibus sunt. Neque enim omnes tam firmi & constantis animi contra aduersum rumorem esse possent quàm Fabius fuit, qui suum imperium minui per vanitatem populi maluit, quàm secunda fama malè rem gerere. Non sum is qui non existimem admonendos duces esse: imò eum qui de sua vnus sententia omnia gerat, superbû iudico magis quàm sapientem. Quid ergo est? Primum à prudētibus, & propriè rei militaris peritis, & vsu doctis, monendi imperatores sunt: deinde ab iis qui intersunt gerendis rebus, qui loca, qui hostem, qui temporû opportunitatē vidēt, qui in eodē velut nauigio participes sunt periculi. Itaque si quis est qui quod è republ. sit suadere se mihi in eo bello quod gesturus sum, confidat, ne denegat operam recip. & in Macedoniâ mecum veniat: naue, equo, tabernaculo, viatico etiam à me iuuabitur. Siquem id facere piget, otium vrbânû militiæ laboribus præoptat, è terra ne gubernauerit. Sermonum satis ipsa præbet vrbs: loquacitatem suam contineat: nos castrensibus consiliis contentos futuros esse sciat.

ORATIO L. AEMILII PAULI

consulis ad milites.

ARGVMENTVM.

Gestis aliquot præliis continuos dies, quum magno labore Macedonas Romani persequerentur, Perseus insequenti die suos in aciem educit consilio congregiendi cum Romanis. Iam tum ad meridiem hora diei vergebat, tempus anni post circumactum solstitium erat, iter multo puluere opletû, sol incalescebat, lassitudo & sitis iâ sentiebantur. In tâta rerum omnium iniquitate, tamen Romani alacres nihil malebant quàm cum hoste integro & recenti congregi. Itaque per simulationem AEmilius consul circumeundo singulos ordines adhortari non desisteat ad certamen militum animos. At quum crescente solis æstu, simul sensim vultus vigor, vocûmque contentio imminui, quidam incumbentes scutis, nixique pilis stare videntur: tum imperat Paulus vt frontem castrorum metarentur. Quare læti milites facti sunt. Tum legati multi atque duces erant qui pugnaturum consulem credebant silentibus itaque aliis, vnus P. Nasica extitit qui ausus est monere consulem ne vincendi oblatam occasionem omitteret. Cui respondit se didicisse multis belli casibus quando pugnandum, quando abstinendum pugna esset: aliâque multa: quibus auditis conticuit adolescens. Postero die aduocata concione ita rationem pugnae dilatae suis reddidit,

P. Nasica egregius adolecens, ex omnibus vnus quibus hesternâ die pugnari placuit, denūtiavit mihi suum consilium: idem postea, ita vt transisse in meam sententiam videri posset, tacuit. Quibusdam aliis absentem carpere imperatorē quàm præsentem mone remelius visum est: & tibi, P. Nasica, & quicumque idem, quod tu, occultius senserunt, non grauabor reddere dilatae pugnae rationem. Nam tantum abest vt me hesternæ quietis poeniteat, vt seruatum à me exercitum eo consilio credam. In qua me opinione esse nequis sine causa vestrum credat, recognoscat agetum mecum (si videtur) quàm multa pro hoste & aduersus nos fuerint. Iam omnium primum quantum numero nos præstet, neminem vestrum nec antè ignorasse, & hesternò die implicatam intuentes aciem, animaduertisse certû habeo. Ex hac nostra paucitate, quarta pars militû præsidio impedimētis relicta erat: nec ignauissimû quæque relinqui ad custodiam sarcinarû scitis. Sed fuerimus omnes: parû hoc tādē esse credimus, quod ex his castris in quibus hac nocte mansimus, exituri in aciem hodierno, aut ad summum crastino die, si ita videbitur, diis bene iuuantibus, sumus? Nihilne interest vtrum militē, quem neque viæ labor hodie neque operis fatigauerit, re-quietû, integrum in tentorio suo arma capere iubeas, atque in aciem plenum viriû, vigentem & corpore & animo, educas: an longo itinere fatigatum, & onere fessum, madentem sudore, ardentibus siti faucibus, ore atque oculis repletis puluere, torrentē meridiano sole, hosti obicias recenti, quieto, qui nulla re antè cōsumptas vires ad præliû afferat? Quis prodeûm fidē ita cōparatus vel iners atque imbellis fortissimum virû nõ vicerit? Quid quod hostes per summû otium instruxerāt aciē, reparauerant animos, stabant cōpositi suis quibusque ordinibus: nobis tunc repētē trepidandû in acie instruenda erat, & incōpositis concurrendum? An hæc acie quidem inconditâ inordinatâque habuissimus: castra munita, prouisam aquationem, tutû ad eam iter præfidiis impositis, explorata circa omnia: an nihil nostri habentes, præter nudû campum, in quo pugnaremus? Maiores vestri castra munita

portum ad omnes casus exercitus ducebant esse, unde ad pugnam exirent, quò iactati tempestate pugnae, receptum haberent. Ideo quò munimētis ea sepissent, praesidio quoque valido firmabant, quòd qui castris exutus erat, etiam si pugnando acie vicisset, pro victo haberetur. Castra sunt victori receptaculum, victo perfugium. Quam multi exercitus quibus minus prospera pugnae fortuna fuit, intra vallum compulsi, tempore suo interdum momento post eruptione facta victorem hostem pepulerunt? Patria altera est militaris haec sedes, vallumque pro moenibus, & tentorium suum cuique militi domus ac penates sunt. Sine villa sede vagi dimicassemus, ut quòd victores nos reciperemus? His difficultatibus & impedimentis pugnae illud opponitur, Quid si hostis hac interposita nocte abisset, quantum rursus sequendo eo penitus in ultimam Macedoniam exhauriendum laboris erat? Ego autem neque mansurum eum, neque in acie copias educiturum fuisse, certum habeo, si cedere hinc statuisset. Quanto enim facilius abire fuit quòd procul abessemus, quam nunc quum in ceruicibus sumus: nec falleret nos nec interdiu nec nocte abeundo? Quid autem est nobis aptius, quam ut quorum castra praerecta fluminis ripa tuta, vallo insuper septa ac crebris turribus, oppugnare adorti sumus: eos relictis munimētis agmine effuso abeuntes in patentibus campis ab tergo adoriamur? Haec dilatae pugnae ex hesterno die in hodiernum causam fuerunt. Pugnare enim & mihi ipsi placet: & ideo quia per Enipeum amnem septa ad hostem via erat, alio saltu deiectis hostium praesidiis nouum iter aperui: neque priusquam de bellauero, abistam.

Ex quadagesimo quinto libro ab vrbe condita.

ORATIO L. AEMILII AD PERSEUM, qui se permiserat Romanis.

ARGUMENTVM.

Samothracam oppidum classis Cn. Octauii, cui obuenerat, appulsa erat: ubi quum L. Atilius illustrius adolescens populum ipsum in concione esse audiret, petiit ut sibi alloquendi populi fieret potestas. Permisso, quaerere coepit utrum ea insula falso sacra atque inuiolati soli esset. Cui quum responsum esset verè sanctam esse, Quid igitur, inquit, pollutam sanguine Eumenis regis homicida violauit? Tum aliis iactatis, summum magistratum ad Perseum mittunt, qui nuntiaret Euandrum Cretensem (is est quo vsus erat ad ministerium caedis Eumenis faciendae Delphis) argui caedis. Perseus euocato Euandro rem totam exponit: qui quamuis se mortem subiturum esse, quam quae iudicio statueretur, dixerat. At quum fuga salutem sibi quaerere velle videretur, interfici iussit Perseus. Eo verò facinore in amicum per tot casus expertum perpetrato, ita omnium ab se animos abalienauit, ut omnes ad Romanos transfirent, ille prope solus relictus, fugae consilium capere cogeretur. Oroandem itaque quendam Cretensem ad se vocat, cui mandat ut se ad Cotym deueheret. Rex nocte media ad littus profectus, quum in portu nauem non inueniret (nam primis tenebris solue rat) vagatus aliquandiu frustra in littore, quum lux appeteret, non ausus in hospitium redire, in templo prope angulum quendam obscurum delituit. Interim per praconem ex Cn. Octauius pronuntiatur, regios liberos Macedonasque alios, si transfirent ad Romanos, libertatem suamque omnia seruaturus. Ad eam vocem omnes transeunt, regique liberi Octauius traditi, praeter Philippum maximum natu, qui cum rege relictus est. Quod quum ad Perseum allatum esset, tum se filiumque Octauius permittit. Paucis post diebus, Cn. Octauius Perseum in castra ad Paulum consulem mittit, praemissis literis quibus monebat, regem in ipsius fore potestate qui adduceretur. His recitatis, Q. Aelium Tuberonem ei mittit obuiam, ceteros in praetorio manere iubet. Iam in praetorium introducebatur, quum Paulus consul aliquantum progressus, regi dextram porrigit, summittentemque se ad pedes, comiter tollit: nec attingere genua passus, introductum in tabernaculum considerè aduersus aduocatos in consilium iussit. Tum verò quum ab eo rogatus qua tandem motus iniuria bellum aduersus Romanos suscepisset, quo se regnumque in ultimum discrimen adduxerat, terram intuens, diu tacitus fleret, rursus consul ita eum alloqui coepit,

Si iuuenis regnum accepisses, minus equidem mirarer ignorasse te quam grauis aut amicus aut inimicus esset populus Rom. Nunc verò quum & bello patris tui, quod nobiscum gessit, interfuisses, & pacis postea, quam cum summa fide aduersus eum coluimus, meminisses: quod consilium, quorum & vim bello, & fidem in pace expertus esses, cum iis tibi bellum esse quam pacem malle? (nec interrogatus, nec aduersatus quum responderet) utcunque tamen haec, siue errore humano, seu casu, seu necessitate inciderunt, bonum animum habe: multorum regum, populorum casibus cognita populi Rom. clemencia non modò spem tibi, sed prope certam fiduciam salutis praebet. (Haec Graeco sermone

Perseo, Latine deinde suis) Exemplum insigne cernitis mutationis rerum humanarum. vobis hoc præcipuè dico, iuvenes. Ideo in secundis rebus nihil in quenquam superbè ac violenter consulere decet, nec præfenti credere fortunæ, quum quid vel perferat incertum sit. Is demum vir erit, cuius animum nec prospera flatu suo efferet, nec aduersa infringet.

ORATIO RHODIORVM IN SENATU
expostulantium & se purgantium.

ARGUMENTVM.

Rhodos multis legationibus in Græciam factis apparuerat Romanis iam inde ab initio belli Macedonici Perseo regi fauisse. Quod suum consilium qua fraude ac simulatione poterant, semper texerunt. Ac vt magis pro Romanis quàm pro Perseo stare viderentur, in magnis belli Macedonici tumultibus Romam legatos misere, qui eo bello vastari suos fines dicerent, agerentque de pace cum Perseo componenda. Inter alia legati verba quædam effutuerant ex quibus facile intelligi poterat, & inita à Rhodiis contra populum Romanum sæpe consilia, & ea quæ tum dicerentur, per fraudem modò iactari. Itaque Romani nihil legatis aliud responderunt, quàm quòd finito eo bello (quod breui futurum erat) ciuitates sua quæque præmia ex impensis in id bellum factis, & laboribus exhaustis accepturæ essent. Perseo verò capto & victo, legatos rursus Romam mittunt, qui in veste candida Romanis gratularentur de Perseo victoriam. Ii & hospitium sibi dari & senatum primo quoque tempore petebant. Qua de re consulti à M. Iunio consule patres, censuerunt nullum hospitale ius in iis seruandum. Senatusconsulto iis cognito, extemplo consulem qui retulerat decretum, omnesque qui aderant orabant vt plus momenti ad gratiam vetera sua merita apud eos haberent, quàm noua & falsa crimina ad damnationem. Nec his contenti, sordida veste sumpta, domos principum cum precibus & lacrymis adibant, orantes vt prius causam cognoscerent quàm condemnarentur. Rhodii in hac causa M. Iuuentium Taluam prætorem, cuius inter ciues & peregrinos iurisdictio erat, aduersarium habebant, qui primo quoque tempore rogationem promulgat, non antè cõsulto senatu (quod nefas erat) vt Rhodius bellum indiceretur. Huic actioni duo tribunipl. aduersabantur. Certamine inde orto ea tota res in aduentum consulis intercessione tribunorum pleb. differtur. Interim Rhodii, in senatum puto (nam hac in parte multa desiderantur) introducti, causam suam in hanc sententiam egerunt,

Peccauerimusne, adhuc dubium est: pœnas, ignominias omnes iam patimur. Antea Carthaginen sibus victis, Philippo, Antiocho superatis, quum Romam venissemus, ex publico hospitio in curiam gratulatum vobis, r. c. ex curia in Capitolium ad deos vestros dona feretes veniebam? nunc ex sordido diuersorio vix mercede recepti, ac propè hostiù more extra urbem manere iussi, in hoc squalore venimus in curiam Romanam Rhodii, quos prouinciis nuper Lycia atque Caria, quos præmiis atque honoribus amplissimis donastis. Et Macedonas Illyriosque liberos esse, vt audiuimus, iubetis, quum seruiuerint antequam vobiscum bellarent (nec cuiusquam fortunæ inuidemus, imò agnoscimus clementiam populi Romani) Rhodios qui nihil aliud quàm quieuerunt hoc bello, hostes ex sociis facturi estis? Certè quidem vos estis Romani, qui ideo felicia bella vestra esse, quia iusta sint, præ vobis fertis: nec tam exitu eorum, quòd vincatis, quàm principiis, quòd non sine causa suscipiatis, gloriamini. Messana in Sicilia oppugnata, Carthaginenses, Athenæ oppugnatae, & Græcia in seruitutem petita, & adiutus Annibal pecunia, auxiliis Philippum hostem fecerunt. Antiochus ipse vltro ab Aetolis hostibus vestris accersitus ex Asia, classe in Græciam traiecit, Demetriade & Chalcide & saltu Thermopylarum occupato, de possessione imperii vos deicere conatus. Cum Perseo socii vestri oppugnati, alii interfecti reguli, principesque gentium aut populorum, causa belli vobis fuere. Quem tandem titulum nostra calamitas habitura est si perituri sumus? Nondum segrego ciuitatis causam à Polyarato & Dione ciuibus nostris, & iis quos vt traderemus vobis adduximus. Si omnes Rhodii æquè noxii essemus, quod nostrum in hoc bello crimen esset? Persei partibus fauimus, & quemadmodum Antiochi Philippique bello pro vobis aduersus reges, sic nunc pro rege aduersus vos stetimus. Quemadmodum soleamus socios iuuare, & quàm impigrè capeffere bella, C. Liuium, L. Aemilium Regillum, interrogate, qui classibus vestris in Asia præfuerunt. Nunquam vestrae naues pugnauere sine nobis: nostra classe pugnauimus semel ad Samum, iterum in Paphlagonia aduersus Annibalem imperatorem: quæ victoria nobis eo gloriosior est, quòd quum ad Samum magnam partem nauium aduersa pugna, & egregiam iuuetutem amissemus, ne tanta quidè clade territi, ite-
rum nunc nostra est fortuna) sed vt admonerè quèamodum adiuuare socios soleret Rhodii præmia, Philippo & Antiocho deuictis, amplissima accepimus à vobis. Si, quæ vestra nunc est fortuna deum benignitate & virtute vestra, ea Persei fuisset, & præmia petitum.

ad victorem regem venissemus in Macedoniam, quid tandem diceremus: pecuniarum à nobis adiutum, an frumento: auxiliis terrestribus an navalibus? Quod praesidium tenuisse nos: ubi pugnasse aut sub illius ducibus, aut per nos ipsos? Si quaereret ubi miles noster, ubi nauis intra praesidia sua fuisset, quid responderemus? Causam fortasse diceremus apud victorem, quemadmodum apud vos dicimus. Hoc enim legatos utroque de pace mittendo consequuti sumus, ut ne ab utraque parte gratiam iniremus, ab altera etiam crimen & periculum esset. Quanquam Perseus verè obiceret, id quod vos non potestis P. C. nos principio belli misisse ad vos legatos, qui pollicerentur vobis quae ad bellum opus essent: navalibus armis, iuuentute nostra, sicut prioribus bellis, ad omnia paratos fore. Ne praestaremus per vos stetit, qui de quacunque causa tum aspernati nostra auxilia estis. Neque fecimus igitur quicquam tanquam hostes, neque bonorum sociorum defuimus officio, sed à vobis prohibiti praestare fuimus. Quid igitur: nihilne factum neque dictum est in ciuitate vestra, Rhodii, quod nolletis, quo merito offenderetur populus Romanus? Hinc iam non quod factum est defensusus sum, (non adeo insanio) sed publicam causam à priuatorum culpa segregaturus. Nulla enim est ciuitas quae non & improbos ciues aliquando, & imperitam multitudinem semper habeat. Etiam apud vos fuisse audiui, qui assentando multitudini, grassarentur: & secessisse aliquando à vobis plebem: nec in potestate vestra remp. fuisse. Si hoc in hactam bene morata ciuitate accidere potuit, mirari quisquam potest aliquos fuisse apud nos qui regis amicitiam petentes, plebem nostram consilii deprauarent: qui tamen nihil ultra valuerunt quam ut in officio cessaremus. Non praeteribo (id quod grauissimum est in hoc bello) crimen ciuitatis nostrae. Legatos eodem tempore & ad vos & ad Persea de pace misimus: quod infelix consilium furiosus (ut postea audiuimus) orator stultissimum fecit: quem sic loquutum constat tanquam C. Popilius legatus Romanus, quem ad summouendos à bello Antiochum & Ptolemaeum reges misistis, loqueretur. Sed tamen ea siue superbia siue stultitia appellanda est, eadem quae apud vos, & apud Persea fuit. Alii ciuitatum quam singulorum hominum mores sunt: gentes quoque aliae iracundae, aliae audaces, quaedam timidae: in vinum, in venerem proniores aliae sunt. Atheniensium populum fama est celerem & supra vires audacem esse ad conandum: Lacedaemoniorum ciuitatem, & vix in ea quibus fidit ingredientem. Non negauerim & totam Asiae regionem inaniora parere ingenia, & nostrorum tumidiorem sermonem esse, quod excellere inter finitimas ciuitates videamur, & id ipsum non tam viribus nostris quam vestris honoribus ac iudiciis. Satis quidem & tunc in praesentia castigata illa legatio erat, cum tam tristi responso vestro dimissa. Si tum parum ignominiae pensum est, haec certe tam miserabilis ac supplex legatio etiam insolentioris quam illa fuit legationis satis magnum piaculum esset. Superbiam verborum, praesertim iracundi oderunt, prudentes irridere: utique si inferioris aduersus superiorem est, capitali poena nemo vnquam dignam iudicauit. Id enim uero periculum erat ne Romanos Rhodii contemnerent: etiam deos aliqui verbis ferocioribus increpant, nec ob id quenquam fulmine ictum audimus. Quid igitur superat quod purgemus, si nec factum hostile vllum nostrum est, & verba tumidiora legati, offensionem aurium, non perniciem ciuitatis meruerunt? Voluntatis nostrae tacitae velut litem aestimari vestris inter vos sermonibus audio P. C. fauisse nos regi & illum vincere maluisse: ideo bello persequendos esse credunt. Alii vestrum, voluisse quidem nos hoc, non tamen ob id bello persequendos esse: neque moribus neque legibus vllius ciuitatis ita comparatum esse ut si quis vellet inimicum perire, si nihil fecerit quo id fiat, capitis damnetur. His qui nos poena, non crimine liberant, gratiam quidem habemus: ipsi nobis hanc dicimus legem, si omnes volumus quod arguimur, non distinguimus voluntatem à facto, omnes plectamur. Si alii principum nostrorum vobis, alii regi fauerunt, non postulo ut propter nos, qui partium vestrarum fuimus, regis fautores salui sint. Illud deprecor ne nos propter illos pereamus. Non estis vos illis infestiores quam ciuitas ipsa: & hoc qui sciebant, plerique eorum aut profugerunt, aut mortem sibi consciuerunt: alii damnati à nobis in potestate vestra erunt P. C. Cateri Rhodii sicut gratiam nullam meriti hoc bello, ita ne poenam quidem sumus. Priorum nostrorum benefactorum cumulus hoc quod nunc cessatum in officio est expleat. Cum tribus regibus gessistis bella per hos annos: ne plus obsit nobis quod vno bello cessauimus quam quod duobus bellis pro vobis pugnauimus. Philippum, Antiochum, Persea tanquam tres sententias ponite: duae nos absoluunt, vna dubia est, ut grauior sit. Illi de nobis si iudicaretis,

dánati essemus: vos iudicate p. c. sit Rhodus in terris, an funditus deleatur. Nō enim de bello deliberatis, p. c. quod inferre potestis, gerere nō potestis, quū nemo Rhodiorū arma aduersus vos laturus sit. Si perseuerabitis in ira, tēpus à vobis petemus quo hanc funestā legationem domum referamus: omnia libera capita, quicquid Rhodiorum virorum, foemina rum est, cum omni pecunia nostras naues conscendemus, ac relictis penatibus publicis priuatisque, Romam veniemus: & omni auro & argento, quicquid publici, quicquid priuati est, in comitio, in vestibulo curiæ vestræ cumulato, corpora nostra coniugumque ac liberorum vestræ potestati permittemus, hīc passuri quodcunque patiendum erit: procul ab oculis nostris vrbs nostra diripiatur, incendatur. Hostes Rhodios esse Romani iudicare possunt: est tamen & nostrum aliquod de nobis iudicium, quōd nunquam iudicauimus nos vestros hostes: nec quicquam hostile, etiam si omnia patiemur, faciemus.

ORATIO M. SERVILII PRO L. AEMILIO

Paulo vt ei triumphus contra militum maledicentiam decerneretur.

ARGUMENTVM.

Capto deuictōque Perseo, legibusque Macedonibus impositis, quum Romam L. AEmilius Paulus consul traicere cum suis pararet, prædam ipsam in milites ita diuisit, vt quum in equitē c c c. denarii, in peditē c c. diuisi essent, facile ipsi constaret eorum animos expletos non esse. In ea tamen militum de se opinione Romam aduerso Tiberi subuehitur, quōd paucos post dies Anicius & Octavius classe sua aduecti sunt. Tribus his ab senatu triumpus decretus erat, mandatūque Q. Cassio prætori, ageret ex patrum autoritate cum tribunis plebis, vt rogationem ad plebem promulgarent, vt quo die in urbem triumphantes veherentur, iis imperium esset. Triumpho Anicio & Octauiō decreto nemo aduersabatur: ceterū AEmilius Paulus milites aduersarios habuit, quos Seruius Sulpitius Galba, qui tribunus militū secundæ legionis in Macedonia fuerat, per suæ legionis milites sollicitudo stimulauerat vt frequentes ad suffragium conuenirent, prohibitori ne imperiosus dux rogatione antè dicta promulgata triumpharet. Iam verò in Capitolio T. Sempronius tribunus plebis eam rogationem ad populum ferebat, dato etiā priuatis (vt in re minimè dubia) loco dicendi: quum ille idem Seruius Galba repente processit, & à tribunis postulauit vt in posterum diem differrent quæ contra eum triumphum dicere vellet, quoniam eiusmodi essent vt diei vnius tempus desiderarent. Tribunus eo ipso die dicere siquid vellet iuber. Ille itaque inuitus rem aggreditur: diei eius reliquum (erat tum octauæ tempus) dicendo extrahit, quo tempore imperium nimisquam seuerum AEmilii reprehendit: plus laboris prædicando, plusque periculi quàm res desiderasset, ab eo iniunctum esse: præmia contrā & honores ita arcata, vt militia, si talibus ducibus succederet, & horridior asperiorque belantibus, eadem victoribus inhonorata futura videretur. His aliisque vocibus, quæ eodem pertinebant, ita militum animos concitauit, vt postero die frequentes Capitolium complerent. Iam verò primæ tribus intro vocatæ rogationem antiquabāt, quū rei indignitate principes moti, magna frequentia in Capitolium concurrunt, indignum vociferantes L. AEmilium tanti belli victorem debito fraudari triumpho, iam licentiæ militari duces tradi, dominis imperatoribus milites imponi. His aliisque vocibus criminibusque in Galbā congerendis Capitolium tumultibus compleuerant, quum sedato paulisper tumultu, M. Seruilus, qui consul & magister equitum fuerat, à tribunis postulat vt de integro eandem rem agerent, facerentque sibi dicendi potestatem. Tū tribuni victi principū autoritatibus, eam rem de integro agētes, pronuntiat se tribus reuocatuos, si M. Seruilus aliique priuati dixissent. Itaque Seruilus pro Paulo ita loqui cœpit,

Quantus imperator L. AEmilius fuerit, Quirites, si ex alia re nulla æstimari possit, vel hoc satis erat, quōd quum tam seditiosos & leues milites, tam nobilem, tam temerarium, tam eloquentem ad instigandam multitudinē inimicum in castris haberet, nullā in exercitu se ditionē habuit. Eadē seueritas imperii quā nunc oderūt, tūc eos cōtinuit. Itaque antiqua disciplina habiti neque fecerūt. Seruius quidē Galba si in L. Paulo accusando tyrociniū & documentū eloquentiæ dare voluit, nō triumphū impedire debuit, quē si nihil aliud, senatus iustū esse iudicauerat: sed postero die quā triumphatū esset, priuatū eum visurus, nomē deferre, & legibus interrogare, aut serius paulo, quū primū magistratū ipse cepisset, diē dicere, inimicum ad populum accusare. Ita & pretium rectē facti triumphū, in haberet L. Paulus pro egregio bello gesto, & pœnam, siquid & veterē gloria sua & nō itā indignum fecisset. Sed videlicet cui crimen nullum probum dicere poterat, eius obrectare laudes voluit. Diem integrum hesternō die ad accusandū L. Paulum

petiit: quatuor horas, quantum supererat diei, dicendo absumpsit. Quis unquam tam nocens reus fuit cuius vitia vite tot horis exprimi non possent? Quid interim obiecit quod L. Paulus, si causam dicat, negatum velit? Duas mihi aliquis conciones parumper faciat: unam militum Macedonicorum puram, alteram integrioris iudicii & a favore & odio: uniuerso iudicante populo Rom. apud concionem togatam & urbanam prius reus agatur. Quid apud Quirites Romanos Serui Galba diceret? Illa enim tibi tota abscessa oratio esset: In statione seuerius & intencius institisti: vigilie acerbis & diligentius circumita sunt: operis plus quam antea fecisti, quum ipse imperator & exactor circumires. Eodem die & iter fecisti, & in aciem ex itinere duxisti. Ne victorem quidem te acquiescere passus est: statim ad persequendos hostes duxit. Quum te preda partienda locupletem facere posset, pecuniam regiam translaturus in triumpho est & in ararium laturus. Hec sicut ad militum animos stimulos aliquem aculeum habet qui parum licentiae, parum auaritie suae inseruitum censent: ita apud populum Rom. nihil valuisse, qui, ut vetera atque audita a parentibus suis non repetat, quae ambitione imperatorum clades acceptae sint, quae seueritate imperii victoriae partae: proximo certe Punico bello, quid inter Marcum Minutium magistrum equitum, & Quintum Fabium Maximum dictatorem interfuerit, meminit. Itaque accusatorem id scire potuisse, & superuacaneam defensionem Pauli fuisse. Transfertur ad alteram concionem. Nec Quirites vos sed milites videor appellaturus, si nomen hoc saltem ruborem incutere, & verecundiam aliquam imperatoris violandi afferre possit. Equidem ipse aliter affectus animo sum, qui apud exercitum mihi loqui videar, quam paulo antea quam ad plebem urbanam spectabat oratio. Quid etiam dicitis milites? Aliquis est Romae praeter Persea qui triumphari de Macedonibus nolit, & eum non iisdem manibus discernitis quibus Macedonas vicistis? Vincere vos prohibuisset, si potuisset, qui triumphantes urbem inire prohibet. Erratis milites, si triumphum imperatoris tantum, & non militum quoque & uniuersi populi Rom. esse decus censeatis. Non unius hoc Pauli: multi etiam qui ab senatu non impetrarunt triumphum, in monte Albano triumpharunt. Nemo L. Paulo magis eripere decus perfecti belli Macedonici potest quam C. Lucetio primi Punico belli, quam P. Cornelio secundi, quam illis qui post eos triumphauerunt. Nec L. Paulum minorem aut maiorem imperatorem triumphus faciet: militum magis in hoc uniuersumque populi Rom. fama agitur, primum ne inuidiae & ingrati animi aduersus clarissimum quemque civem opinionem habeat, & imitari in hoc populum Atheniensem lacerantem inuidia principes suos videatur. Satis peccatum in Camillo a maioribus vestris est, quem tamen ante receptam per eum a Gallis urbem violarunt: satis insuper vobis in P. Africano. Linterni domicilium & sedem fuisse domitoris Africae, Linterni sepulchrum ostendi. Erubescamus, gloria sit par illis viris, L. Paulus iniuria vestra exaquetur. Hec igitur primum infamia deleatur, foeda apud alias gentes, damosa apud nostros. Quis enim aut Africani aut Pauli similis esse, in ingrata & inimica bonis ciuitate, velit? Si infamia nulla esset, & de gloria tantum ageretur, qui tandem triumphus non communem nominis Romani gloriam habet? Tot de Gallis triumphi, tot de Hispanis, tot de Paeoniis, ipsorum tantum imperatorum, an populi Romani dicuntur? Quae admodum non de Pyrrho modo, nec de Annibale, sed de Epirotis Carthaginensibusque triumphati sunt: sic non M. Curius tantum, nec P. Cornelius, sed Romani triumpharunt. Militum quidem propria est causa: qui & ipsi laureati, & quisque donis quibus donati sunt, insignes, triumphum nomine cient, suasque & imperatoris laudes canentes per urbem incedunt. Siquando non deportati ex provincia milites ad triumphum sint, fremunt: & tamen suum quoque se absentes, quod suis manibus parta victoria sit, triumphare credunt. Siquis vos interroget, milites, ad quam rem in Italiam deportati, & non statim confecta provincia dimissi sitis, quid Romam frequentes sub signis veneritis, quid morem in hunc, & non diversi domos quisque abeatis vestras, quid aliud respondeatis quam vos triumphantes videri velle? Vos certe victores conspici velle debeatis. Triumphatum nuper de Philippo patre huius & de Antiocho est: ambo regnabant quum de iis triumphatum est: de Perseo capto, in urbem cum liberis adducto non triumphabitur? Quod si in curru scandentes Capitolium auratos purpuratosque ex inferiore loco L. Paulus in turba togatorum vnus priuatus interroget, Luci Anici, Cn. Octaui, vtrum vos digniores triumpho esse in me censeatis? currum ei cessuri, & praepudore videntur insignia ipsi sua tradituri: & vos Gentium quam Persea duci in triumphum mauultis, Quirites, & de accessione potius belli quam

de bello triumphari? Et legiones ex Illyrico laureatae urbem inibunt & nauales socii? Macedonicae legiones suo abrogato, triumphos alienos spectabunt? Quid deinde tam opimae praedae, tam opulenta victoriae spoliis fiet? Quoniam abdentur illa tot milia armorum detracta corporibus hostium? an in Macedoniam remittentur? Quod signa aurea, marmorea, eburnea, tabulae pictae, textilia, tantum argenti caelati, tantum auri, tanta pecunia regia? an noctu tanquam furtiua in aerarium deportabuntur? Quid illud spectaculum maximu: nobilissimus opulentissimusque rex captus ubi victori populo ostenditur? Quos Syphax rex captus, accessio Punici belli, concursus fecerit, plerique meminimus. Perseus rex captus, Philippus & Alexander filii regis, tanta nomina subtrahentur ciuitatis oculis? Ipsum L. Paulum bis consulem, domitorem Graeciae, omnium oculi conspiciere urbem curru ingredientem auent. Ad hoc fecimus consulem ut bellum per quadriennium ingenti etiam pudore nostro tractum, perficeret: cui sortito prouinciam, cui proficiscenti praefagientibus animis victoriam triumphumque destinauimus, ei victori triumphum negaturi? & quidem non homines tantum, sed deos etiam suo honore fraudaturi? diis quoque enim, non solum hominibus debetur. Vtrum maiores vestri omnium magnarum reru & principia exorsi ab diis sunt, & finem eum statuerunt? Consul proficiscentis praetorue paludatis cum licitoribus in prouinciam & ad bellum, vota in Capitolio nuncupat: victor pererrato, eodem in Capitolio triumphans ad eosdem deos quibus vota nuncupauit, merita dona populi Romani traducit. Pars non minima triumphus est victimae praecedentes, ut appareat diis grates agentem imperatorem ob remp. bene gestam redire. Omnes illas victimas quas traducendas in triumpho vindicauit, alias alio cadente maestate: illas quidem epulas senatus, quae nec priuato loco, nec publico profano, sed in Capitolio eduntur, vtrum hominum voluptatis causa, an deorum hominumque, autore Seruio Galba turbaturi estis? L. Pauli triumphus portae claudentur? rex Macedonum Perseus cum liberis & turba alia captiuorum, spolia Macedonum circa flumen relinquuntur? L. Paulus priuatus tanquam rure rediens a porta domum ibit? Et tu centurio, miles, quid de imperatore Paulo senatus decreuit potius quam quid Seruius Galba fabuletur, audi: & hoc dicere me potius quam illu audi. Ille nihil praeter quam loqui, & ipsum maledice ac maligne, didicit: ego ter & vicies cum hoste per prouocationem pugnaui: ex omnibus cum quibus manu conferui, spolia retuli: insigne corpus honestis cicatricibus omnibus aduerso corpore exceptis habeo. *Nudasse deinde de se dicitur, ex quo quaeque bello uulnera accepta essent, retulisse. Quae dum ostentat, ad apertis forte quae uelanda erant, tumor inguinum proximis risum mouit. Tum, Hoc quoque quod ridetis, inquit, in equo dies noctesque perfedendo habeo: nec magis me eius quam cicatricum harum pudet poenitetque: quando nunquam mihi impedimento ad remp. bene gerendam domi militiaeque fuit. Ego hoc ferro saepe vexatum corpus uetus miles adolescentibus militibus ostendi: Galba nitens & integrum denudet. Reuocate, si uidetur, tribuni, ad suffragium tribus: ego ad vos milites* *

ORATIO L. AEMILII PAULI DE REBUS
per ipsum in Macedonia gestis, & fortuna.

ARGUMENTUM.

L. A Emilio Paulo tandem triumphus decretus est qui funere alterius eius liberorum miserabilis extitit. Nam quum quatuor ei liberi essent, duobus datis in adoptionem, alteros haeredes sibi retinuerat, quorum minor ferme duodecim annos natus, quinto ante triumphum patris die decessit. Atque eo funere fortuna non contenta, reliquum triduo post triumphum absumpsit. Non ita multo post actum triumphum data concione, ut de suis rebus gestis more ceterorum imperatorum disereret, ita retulit,

Quamquam & quam feliciter remp. administrauerim, & quod duo fulmina domum meam per hos dies perculerint, non ignorare vos Quirites arbitror, quum spectaculo vobis nunc triumphus meus, nunc funera liberorum meorum fuerint: tamen paucis quaeso sinatis me cum publica felicitate comparare eo quo debeo animo priuatam meam fortunam. Profectus ex Italia, classem a Brundisio sole orto solui: nona diei hora cum omnibus meis nauibus Coreyram tenui. Inde quinto die Delphis Apollini pro me exercitibus, & classibus vestris sacrificauit: a Delphis quinto die in castra perueni: ubi exercitu accepto, mutatis quibusdam quae magna impedimenta victoriae erant, progressus, quia

inexpugnabilia castra hostium erant, neque cogi pugnare poterat rex, inter praesidia eius saltum ad petram euasi: & ad pugnam rege coacto, acie vici: Macedoniam in potestatem populi Romani redegei: & quod bellum per triennium tres ante me consules ita gesserunt ut semper successori traderent grauius, id ego quindecim diebus perfeci. Aliarum deinde secundarum rerum velut proventus sequutus: ciuitates omnes Macedoniae se dederunt: gaza regia in potestatem venit: rex ipse, tradentibus propè ipsis diis, in templo Samothracum cum liberis est captus. Mihi quoque ipsi nimia iam fortuna mea videri, eoque suspecta esse: maris pericula timere coepi in tanta regia pecunia in Italiae traicienda, & victore exercitu transportando. Postquam omnia secundo nauium cursu in Italiam peruenerunt, neque erat quod ultra precarer: illud optaui ut quum ex summo retrò volui fortuna consueffet, mutationem eius domus mea potius quam resp. sentiret. Itaque defunctam esse fortunam publicam mea tam insigni calamitate spero, quòd triumphus meus velut ad ludibrium casuum humanorum duobus funeribus liberorum meorum est interpositus. Et quum ego & Perseus nunc nobilia maximè sortis mortalium exempla spectemur: ille qui ante se captiuos captiuus ipse duci liberos vidit, incolumes tamè eos habet: ego qui de illo triumphauit, ab alterius funere filii curru ex Capitolio ad alterum propè iam expiratem veni: neque ex tanta stirpe liberum superest qui L. A. Emilii Pauli nomè ferat. Duos enim tanquam ex magna progenie liberorum in adoptionem datos Cornelia & Fabia gens habent: Pauli in domo praeter se nemo superest. Sed hanc cladem domus meae vestra felicitas & secunda fortuna publica consolatur.

ORATIO L. EMILII PAULI DE REBUS

A. R. C. M. X. V. M.

ORATIO L. EMILII PAULI DE REBUS

ORATIO L. EMILII PAULI DE REBUS

ORATIO L. EMILII PAULI DE REBUS

ORATIO L. EMILII PAULI DE REBUS

ORATIO L. EMILII PAULI DE REBUS

ORATIO L. EMILII PAULI DE REBUS

ORATIO L. EMILII PAULI DE REBUS

Orationes ex Corn. Tacito collectæ.

VIBULENI ORATIO, Ex lib. 1.

ARGUMENTVM.

Ineunte Tiberii imperio, Pannonicus Romanorum exercitus grauissimos motus & seditiones concitauit. Tumultuose flagitabat miles missionem ad id tempus quod multitudo definirer: stipendia verò liberaliora, & remissius in se ius ceterionum. Pro se quisque tumultum augebat: sed præter cæteros Vibulenus ex infima fæce miles gregarius, seditionas & falsas voces iactauit, quas in oratiunculam hanc conclusit Tacitus. Hic ut ardentē iā imperatoris Blæsi inuidiam etiam inflammaret, falsum crimen commētus, in eum debacchatus est astante militū furiosa multitudine. Cædem fratris sui & fratrem ipsum ementitus, in eum coniecit.

VOS quidem (*inquit*) his innocentibus & miserrimis lucem & spiritum reddidistis: sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem missum ad vos à Germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima iugulauit per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atque armat. Responde Blæse, vbi cadauer abieceris. Ne hostes quidem sepulturam inuident. Quum osculis, quum lacrymis dolorem meum impleuero, me quoque trucidari iube, dū interfectos nullum ob scelus, sed quia vilitati legionum consulebamus, ii sepeliant.

GERMANICI CAESARIS ORATIO, Ex eod. lib.

ARGUMENTVM.

Præerat Germanicus Cæsar duobus exercitibus, qui in Germania propter Rhenū erant. Eorum inferior qui dicebatur, Pannonicum illum imitatus, grauiore etiam motus ciere cepit: dein ad omnem audaciam & furorem prorupit. Causas seditioni prætexuit eandem quas & Pannonicus ille quem diximus. Sed eadem illa postulabat multo imperiosius multoque ferocius. Manus à centurionibus, tribunis, legatis qui à senatu missi erant, non abstinit: sed vix ab ipso Germanico. Qui vxori tum grauidæ & filiolo suo metuens, quos in iis castris secum habebat, decreuit eos in Treuiros mittere. Legiones magnā sibi ignominie notam inuri, si id fieret, iudicaru. Quamobrem deprecatum ad Germanicū, ne id faceret, venerunt. Hac ille arrepta occasione vsus est ad increpandā exercitus amēriam: itaque hac oratione grauius eos obiurgat. Facti indignitatem, exemplis aliorum, & maleficiorum per seditionem hanc perpetratorum commemoratione, demonstrat. Indignos tantis imperatoribus dicit quorum auspiciis militarunt.

NON mihi vxor aut filius patre & rep. chariores sunt: sed illū quidē sua maiestas, imperium Romanum cæteri exercitus defendēt. Coniugē & liberos meos (quos pro gloria vestra libens ad exitiū offerre) nunc procul à furentibus summoueo, vt quicquid istuc sceleris imminet, meo tantū sanguine pietur: neue occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus, nocentiores vos faciat. Quid enim per hos dies inausum intemeratumue vobis: Quod nomē huic coetui dabo: Militēsne appellem, qui filiū imperatoris vestri vallo & armis circūsedistis: an ciues quibus tā protecta senatus autoritas? Hostiū quoque ius, & sacra legationis, & fas gētium rupistis. Diuus Iulius, seditionem exercitus verbo vno compescuit, Quirites vocando, qui sacramentū eius detrectabāt. Diuus Augustus vultu & aspectu Aetiacas legiones exterruit. Nos, vt nōdū eisdē, ita ex illis ortos, si Hispaniæ Syriæue miles aspernaretur, tamē mirū & indignū erat. Primane, & vicesima legiones, illa signis à Tiberio acceptis, tu tot præliorū socia, tot præmiis aucta, egregiā duci vestro gratiā referis? Hunc ego nuntiū patri, læta omnia aliis è prouinciis audienti, ferā: ipsius tyrones, ipsius veteranos, non missione, nō pecunia satiaros? Hic tantum interfici centuriones, eiici tribunos, includi legatos: infecta sanguine castra, flumina, meque precariā animā inter infensos trahere? Cur enim primo concionis die ferrū illud quod pectori meo infigere parabā, detraxistis? O improvidi amici: melius & audentius ille qui gladiū offerebat. Cecidisset certē nōdū tot flagitiorū exercitui meo cōscius. Legissetis ducē qui meā quidē mortē impunitā sineret, Vari tamē & triū legionum vlcisceretur. Neque enim dii sinant vt Belgarū (quāquā offerētū) decus istud & claritas, subuenisse Romano nomini, cōpressisse Germaniæ populos. Tua diue Auguste cælo recepta mens, tua pater Druse imago, tui memoria iisdē istis cū militibus quos iā pudor & gloria intrat, eluant hanc maculam, irāsque ciuiles in exitium hostibus vertant. Vos quoque quorum alia nunc ora, alia pectora contueor, si legatos senatui, obsequiū imperatoris, si mihi coniugem ac filium redditis, discedite à cōtactu, ac diuidite turbidos. id stabile ad pœnitentiam, id fidei vinculum erit.

n. i.

ARGUMENTVM.

Chatti erant populi trans Rhenum, vicinos habebat Vbios. In his populis erant potētissimi duo Arminius & Segestes: ille gener, hic focer. Sed Segestes in Romanorum fidem se contulerat: Arminius cruentum bellum aduersus Romanos gesserat, & tres legiones quibus præerat Varus, ceciderat. Aliquot post annis redintegrato bello à Germanico Cæsare perfitit in Romanorum fide Segestes: Arminius inueteratas inimicitias eo bello in Romanos exprompsit, & se duce Germanis præbuit. Obsessus Segestes à suis popularibus, Romanorum auxilium implorauit. liberatus ad eos confugit. Sed filiam habebat secum, quæ grauida erat ex Arminio: & filium qui accipiti fide erga Romanos fuerat. Itaque ad Germanicum quum venisset, deprecator fuit non suæ tantum, sed filii & filię suæ salutis: sibi que auxilium calamitatis, filio erroris veniam, filię scelerati mariti impunitatem postulauit.

NON hic mihi primus erga populum Romanum fidei & constantiæ dies. Ex quo à diuo Augusto ciuitate donatus sum, amicos inimicosque ex vestris vtilitatibus delegi: neque odio patriæ, (quippe proditores etiã iis quos anteponit inuisi sunt) verum quia Romanis Germanisque idem conducere, & pacem quam bellum probabã. Ergo raptorem filię meæ, violatorem fœderis vestri Arminium apud Varum qui tum exercitui præsidebat, reum feci, dilatus segnitia ducis, quia parum præsidii in legibus erat, vt me & Arminium & conscios vinceret, flagitauit. testis illa nox: mihi vtinam potius nouissima. Quæ sequuta sunt, defleri magis quam defendi possunt. Cæterum & inieci catenas Armenio, & à factione eius iniectas perpeffus sum: atque vbi primum tui copia, vetera nouis & quieta turbidis antehabeo: neque ob præmium, sed vt me perfidia exoluam, simul genti Germanorum idoneus conciliator, si pœnitentiam quam perniciæ maluerit. Pro iuuetã & errore filii veniam precor. filiã necessitate huc adductã fateor: tuum erit cõsultare vtrũ præualeat quòd ex Arminio cõcepit, an quòd ex me genita est.

M. HORTALI ORATIO, Ex lib. II.

ARGUMENTVM.

M. Hortalus, erat senator, & nepos Q. Hortensii clarissimi oratoris, ex nobilissima Hortensiorum familia. Sed hic rei familiaris angustia grauissimè premebatur, vt vix per inopiam ordinem suum obtinere posset. Emerferat antea penè ex summa paupertate Augusti Cæsaris liberalitate. Acceperat enim ab eo satis grandè pecuniã, & iussus erat profectare scire, ne ea stirps interiret. Verum quum copiosam sobolè procreasset, nõ satis se sustinere poterat. Itaque quum senatus haberetur, iussis filijs pro foribus curiæ assistere, ipse Tiberium Cæsarem rogauit vt se suosque noua liberalitate iuuare vellet.

P. c. hos quorum numerum & pueritiam videtis, non sponte sustuli, sed quia princeps monebat: simul maiores mei meruerant vt posteros haberent. Nam ego qui non pecuniam, non studia populi, neque eloquentiam, gentile domus nostræ bonum, varietate temporum accipere vel parare potuissim, satis habebã si tenues res meæ nec mihi pudori nec cuiquam oneri forent. Iussus ab imperatore vxorè duxi. En stirps & progenies tot consulum, tot dictatorum. Nec ad inuidiam ista, sed cõciliandæ misericordiæ refero. Adsequentur florente te, Cæsar, quos dederis honores. Interim Q. Hortensii pronepotes, diui Augusti alumnos ab inopia defende.

TIBERII CAESARIS RESPONSI O, Ex eodè lib.

ARGUMENTVM.

Respondet ad Hortali illius postulationem Tiberius. Nihil se in eius inopiã quã prædicet erogare posse. Causas quæ obrè repudiet rogantem, affert has. Intempestiua esse postulationem beneficii in senatu: largitionibus nimis exhauriri ærarium: benignitate illa foueri hominum inertiam: multos à principum liberalitate petere suã paupertatis subsidium, qui si allaborent, non egeant.

Si quantũ pauperum est, venire huc, & liberis suis petere pecunias cõperint, singuli nudi quã exariabuntur, res publica deficiet. Nec sanè ideo à maioribus cõcessum est egredi aliquando relatione, & quod in cõmune cõducatur, loco sententiæ proferre, vt priuata negotia & res familiares nostras hic augeamus cum inuidia senatus & principum, siue indulserint largitione siue abruerint. Nõ enim preces sunt istuc, sed flagitatio intempestiua quidè & improuisa, qui aliis de rebus cõuenerint patres, cõsurgere, & numero atque ætate liberum suorum vrgere modestiã senatus, eandè vim in me trãsmittere, ac velut perfringere ærarium: quod si ambituone exhausserimus, per scelera supplendũ erit. Dedi tibi Hortale diuus Augustus pecuniam, sed non compellatus, nec ea lege vt semper daretur. Languescet alioqui industria, intendetur fœcordia, si nullus ex se metus aut spes, & securi omnes aliena subsidia expectabunt, sibi ignaui, nobis graues.

ARGUMENTVM.

Germanicus Caesar peragrata Ægypto in morbum incidit: quo leuatus, alio repente fuit correptus, quo grauius conflictatus est: & suberat suspicio oblati à Pifone præfide Syriæ veneni. Desperata valetudine, sic apud amicos qui tum frequētes aderant, moribundus loquutus est. Rogat ne impune tantum scelus patiatur esse Pifoni & Plancinæ eius vxori, quæ particeps sceleris credebatur. Rationē pœnarū persequendarum aperit.

SI fato concederem, iustus mihi dolor etiam aduersus deos esset, quòd me parētibus, liberis, patriæ intra iuuentā præmaturo exitu raperent: nunc scelere Pifonis & Plancinæ interceptus vltimas preces pectoribus vestris relinquo. Referatis patri ac fratribus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumuentus, miserrimam vitam pessima morte finierim. Siquos spes meæ, siquos propinquus sanguis, etiam quos inuidia erga viuentem mouebat, in lacrymabunt quondam florentem & tot bellorum superstitem, muliebri fraude cecidisse. Erit vobis locus querendi apud senatum, inuocandi leges. Nō hoc præcipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignaui questu, sed quæ voluerit meminisse, quæ mandauerit exequi. Flebunt Germanicum etiam ignoti. Vindicabitis vos, si me potius quàm fortunam meam fouebatis. Ostendite pop. Rom. diui Augusti neptē, eandēq; coniugē meā: numerate sex liberos. Misericordia cū accusantibus erit: fingentibusq; scelestam mandata, aut nō credent homines, aut non ignoscēt.

TIBERII ORATIO IN SENATV, Ex lib. III.

ARGUMENTVM.

Piso ille quem diximus in suspicionē venisse porrecti Germanico veneni, reus illius criminis ab amicis Germanici factus est. Tiberius eius causæ disceptationem à se ad senatum reiecit. Die constituta causæ dictionis præfide sunt accusatores. Ibi Tiberius, in quem multi aliquam eius cædis culpam conferebant, eos hortatur vt ad accusandū sincerum & vacuum ab omni cupiditate animum afferant. Daturum operam vt ne Piso, si certis criminibus teneatur, impunitatem tanti sceleris consequatur. rātum illi æquitatis vindicandæ studio ad causam agendam descendat.

DE senatus, Caesar orationem habuit meditato temperamento. Patris sui legatum, atque amicum Pisonem fuisse, adiutoremque Germanico datum a se, autore senatu, rebus apud orientem administrandis. Illic contumacia & certaminibus asperasset iuuenem, exitūque eius lætatus esset, an scelere extinxisset, integris animis diiudicandum. Nam si legatus officii terminos, obsequium erga imperatorem exiit, eiusdemque morte & luctu meo lætatus est, odero, seponamque à domo mea, & priuatam inimicitias noui principis vlciscar: sin facinus in cuiuscunque mortalium nece vindicandum detegitur, vos verò & liberos Germanici & nos parētes iustis solatiis adficite, simulque illud reputate, turbidè & seditiosè tractauerit exercitus Piso, quæ sita sint per ambitionem studia militum, armis repetita prouincia, an falsa hæc in maius vulgauerint accusatores: quorum ego nimis studiis iure succenseo. Nam quòd pertinuit, nudare corpus & contrectandum vulgi oculis permittere, deferrique etiā per externos, tanquam veneno interceptus esset, si incerta adhuc ista & scrutanda sunt? Desleo equidem filium meum, semperque deslebo: sed neque reum prohibeo quominus cuncta proferat quibus innocentia eius subleuari, aut, si qua fuit iniquitas Germanici, coargui possit. Vosque oro ne, quia dolori meo causa connexa est, obiecta crimina pro approbatis accipiatis. Siquos propinquus sanguis aut fides sua patronos dedit, quantum quisque eloquentia & cura valet, iuuate periclitantem. Ad eundem laborem, eandē constantiam accusatores horror. Id solum Germanico super leges præstiterimus, quod in curia potius quàm in foro, apud senatum quàm apud iudices de morte eius anquiritur: cætera pari modestia tractetur. Nemo Drusi lacrymas, nemo moestitiam meam spectet, nec si qua in nos aduersa finguntur.

M. LEPIDI ORATIO IN SENATV,

Ex eodem libro.

ARGUMENTVM.

Clutorius Priscus, eques Romanus, lugubre carmen Germanico cecinerat, sed specioso tamen qualito Germanici demortui nomine. Nam compertum est in Drusum tum decumbentem conscriptum fuisse carmen quod maiore mercede vellet edere si is excessisset.

Dicta sunt in eum sententiæ frequētes in senatu, vt id ei fraudi capitali esset. Vnus & alter mitioris sententiæ autor fuit: quorum hic est vnus oratio. Is erat M. Lepidus, qui clementius de eo statuendum censuit, vt bona eius publicarentur, ipse exilio mulctaretur.

Si p. c. vnum id spectamus quàm nefaria voce Clutorius Priscus mentem suã & aures hominum polluerit, neq; carcer neque laqueus, ne seruales quidem cruciatus in eum suffecerint. Sin flagitia & facinora sine modo sunt, suppliciis ac remediis, principis moderatio, maiorumque & vestra exempla téperant: & vana à scelestis, dicta à maleficiis differunt. Est locus sententiæ per quam neque huic delictum impune sit: & nos clementiæ simul ac seueritatis non pœniteat. Sæpe audiui principem nostrum conquerentem, si quis sumpta morte misericordiã eius præuenisset. Vita Clutorii in integro est, qui neq; seruatus in periculũ reip. neque interfectus, in exemplũ ibit. Studia illi, vt plena vœcordiæ, ita inania & fluxa sunt. Nec quicquã graue ac seriũ ex eo metuas qui suorum ipse flagitiorũ proditor, non virorũ animis, sed muliercularũ adrepat. Cedat tamẽ vrbe, & bonis amissis, aqua & igni arceatur. Quod perinde cœscō ac si lege maiestatis teneretur.

TIBERII AD SENATVM ORATIO, Ex lib. II II.

ARGVMENTVM.

Drusum Sejanus, homo ambitiosus, veneno necauit. Illius mortui liberos patrii fidei primũ commisit Tiberius: deinde hac oratione senatui commendauit, rogauitque per Augusti & Drusi memoriam, vt eos complecteretur.

P. c. Hos (*inquit*) orbatos parente, tradidi patruo ipsorum, precatũsque sum (quãquam esset illi propria soboles) ne secus quã suum sanguinem foueret ac tolleret, sibique & posteris conformaret. Erepto Druso, preces ad vos conuerto, diũsque & patria coram obtestor, Augusti pronepotes, clarissimis maioribus genitos, suscipite, regite, vestram meãque vicem explete. Hi vobis Nero & Druse parentum loco. Ita nati estis vt bona malãque vestra ad remp. pertineant.

CREMVTII DEFENSIO IN SENATV,

Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Crementius Cordus annales Romanos cõscripserat. In iis magnis laudibus ornauerat Brutum & Cassium percussores Iulii Cæsaris, quorum inuisa erat memoria Cæsariibus, quibus ille imperium, id est oppressam à se ciuitatem, quasi hæreditarium prodiderat. Itaque hoc solo nomine postulatus est ille maiestatis. Causa in senatu disceptata est sedente & cognoscente Tiberio. Is ad causam dicendam quum venisset, tamersi salute desperata, hanc tamẽ pro se defensionem habuit. Probat tum recentibus, tum ex vetustate repetitis exemplis, nemini fraudi esse capitali in repub. Romana scribendi licentiam. Aliter coerceri facta, aliter dicta. Quicquid est culpæ, id eo leuari quod laus illa sit collata in homines iam è vita egressos.

Verba mea p. c. arguuntur: (adeo factorũ innocēs sum) sed neq; hæc in principem aut principis parentẽ, quos lex maiestatis amplectitur. Brutũ & Cassiũ laudauisse dicor: quorũ res gestas quũ plurimi cõposuerint, nemo sine honore memorauit. Titus Liuius eloquentiæ ac fidei præclarus in primis, Cn. Põpeium tantis laudibus tulit, vt Põpcianum eum Augustus appellaret. neq; id amicitiaẽ eorum officit. Scipionẽ, Afranium, hunc ipsum Cassiũ, hunc Brutum, nusquã latrones & parricidas, quæ nunc vocabula imponũtur, sæpe vt insignis viros nominat. Asinii Pollionis scripta egregiã eorundem memoriam tradunt. Messala Coruinus imperatorem suũ Cassium prædicabat. Et vterq; opibusque atq; honoribus peruiquere. Marci Ciceronis libro quo Catonem cælo æquauit, quid aliud dictator Cæsar quã rescripta oratione velut apud iudices respõdit? Antonii epistolæ, Bruti conciones, falsa quidẽ in Augustum probra, sed multa cum acerbitate, habent. Carmina Bibaculi & Catulli referta contumeliis Cæsarium leguntur. Sed ipse diuus Iulius, ipse diuus Augustus & tulere ista & reliquere, haud faciliẽ dixerim moderatone magis an sapientia. Nanque spreta exolescũt: si irascere, adgnita videntur. Nõ attingo Græcos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita; aut si quis aduerit, dictis dicta vltus est. Sed maximẽ solutum & sine obtrectatore fuit, prodere de iis quos mors odio aut gratia exemisset. Num cum armatis Cassio & Bruto, ac Philippenfes campos obtinentibus, belli ciuili causa populum per conciones incendio? An illi quidem septuagesimũ ante annũ perempti, quomodo imaginibus suis noscuntur, quas nec victor quidem aboleuit, sic partẽ memoriæ apud scriptores retinẽt? Suum cuique decus poster-

tas rependit. Nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modò Cassii & Bruti, sed etiam mei meminerint.

TIBERII ORATIO IN SENATU,

Ex eodem libro.

ARGUMENTVM.

Oppressa libertate, omnes prouinciæ in assentionem Cæsarum consenserant: & certatim eos honoribus quamplurimis afficiebant. Itaque Hispania vltior delubrum Tiberio & matri eius consecrare decreuit, & de eo honore legationem Romam misit. Tiberius, etsi alienum non putabat à potentia sua constituenda, si honoribus quammaximis circumflueret, tamen se sibi maiorem conflaret inuidiam, hunc honorem repudiavit: causamque cur id faceret exposuit in senatu. Neque enim abs re id eum facere mirabantur homines, quippe quum non ita multo antè eundem honorem offerere Asia, acceperat. Eius orationis hæc est ferè summa: Se, quem in omni vita imitando exprimeret, proposuisse sibi Augustum: scire id illum factitasse: mortalem sortem se agnoscere: immortalitati non posse melius consecrari quam si honestè acta à se vita in senatus memoria haberet.

SCIO P. C. constantiam meam à plerisque desideratam, quòd Asia ciuitatibus nuper sidem istud perentibus non sim aduersatus. Ergo & prioris silentii defensionem, & quid in futurum statuerim, simul aperiam. Quum diuus Augustus sibi atque vrbi Romæ templum apud Pergamum sisti non prohibuisset, qui omnia facta dictaque eius vice legis obseruem, placitum iam exemplum promptius sequutus sum, quia cultui meo veneratio senatus adiungebatur. Cæterum, vt semel recepisse, veniam habuerit, ita per omnes prouincias effigie numinum sacra, ambitiosum, superbum: & vanescet Augusti honor, si promiscuis adulationibus vulgatur. Ego me P. C. mortalem esse, & hominum officia fungi, satisque habere si locum principem impleam, & vos testor, & meminisse posteros volo: qui satis superque memoriæ meæ tribuēt, vt maioribus meis dignum, rerum uestrarum prouidum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pauidum, credant. Hæc mihi in animis uestris templa, hæ pulcherrimæ effigies & mansuræ. Nam quæ saxo struuntur, si iudicium posterorum in odium vertit, pro sepulchris spernuntur. Proinde socios, ciues, & deos & deas ipsas precor, hos, vt mihi ad finem vsq; vitæ, quietem & intelligentem humani diuinique iuris mentem duint: illos, vt, quando cunque concessero, cum laude & bonis recordationibus facta atque famam nominis mei prosequantur.

ORATIO TIBERII, Ex eodem libro.

ARGUMENTVM.

Ambibat nuptias Liuiæ quæ C. Cæsari, & post eum Druso collocata fuerat, Seianus, homo equestri loco ortus. Qui, qua magna erat apud Tiberium gratia, per eum confici posse negotiorum putauit: eumque hac de re rogauit. Tiberius, qui Cæsarem splendore indignum hoc matrimonium iudicabat, ei dissuadet: atque in eam sententiam hæc cū eo loquitur. Monet vt inuidiā fugiat, quæ haud dubiè erat inde exoritura, si hic in tantum honorum gradum homo obscurus prouectus esset. Illud quoque verèdum esse, ne Liuiæ parum hæc conditio cordi sit: exemplum Augusti refellit quo erat vsus Seianus.

AD ea Tiberius, laudata pietate Seiani, suisque in eum beneficiis modicè percursis, quum tempus tanquam ad integram consultationem petuisset, adiunxit, Cæteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent: principum diuersam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. Ideo se non illuc decurrere quod promptum rescriptu: posse ipsam Liuiam statuere, nubendum post Drusum, an in penetibus iisdem tolerandum haberet: esse illi matrem & auiam, propiora consilia. Simplicius acturum, de inimicitis primùm Agrippinæ, quas longè acrius arsuras, si matrimonium Liuiæ uelut in partes domum Cæsarium distraxisset. sic quoque erumpere æmulationem foeminarum, eaque discordiæ nepotes suos conuelli. Quid si intendatur certamen tali coniugio? Falleris enim Seiane, si te mansurum in eodem ordine putas, & Liuiam quæ C. Cæsari, mox Druso nupta fuerit, ea mente acturam vt cum equite Romano senescat. Ego vt sinam, credisne passuros qui fratrem eius, qui patrem maioresque nostros in summis imperiis videre? Vis tu quidem istum intra locum sistere: sed illi magistratus & primores qui te inuito perumpunt, omnibusque de rebus consulunt, excessisse iam pridem equestre fastigiū, longèque antisse patris mei amicitias non occulti ferunt, perque inuidiam tui me quoque incusant. At enim Augustus filiam suam equiti Romano tradere meditatus est. Mirum

hercule si quū in omnis cūras distraheretur, immensūque attolli prouideret quē coniunctione tali super alios extulisset, C. Procleium & quosdam in sermonibus habuit, insigni tranquillitate vitæ, nullis reipub. negotiis permittos. Sed si dubitatione Augusti mouemur, quanto validius est quod Mar. Agrippæ, mox mihi conlocauit? Atque ego hæc pro amicitia nō occultauī. Cæterū neque tuis neque Liviæ destinatis aduerfabor. Ipse quid intra animum volutauerim, quibus adhuc necessitudinibus immiscere te mihi parem, omittam ad præsens referre. Id tātūm aperiam, nihil esse tam excelsūm quod non virtutes istæ, tuūque in me animus mereantur. Datōque tempore vel in senatu vel in concione non reticebo.

M. TERENTII EQVITIS ROM. ORATIO,

Ex libro v.

ARGVMENTVM.

Ælius Seianus eques Ro. ex tenui conditione ad magnas opes peruenerat, maximè per Liviæ nuptias: sed abusus erat potentia ad multorum perniciem, & aduersus imperatorem insidias. Itaque grauisima accusatione ad vitæ exitum vocatus est. Quo mortuo, multis fraudi fuit illius amicitia, vnde factum est vt pro se quisque illum abiuraret, inuidiamque à se depelleret. M. Terentius eques Rom. eā, laborantibus & tacētibz multis qui in eadem causa erant, ingenūe confessus est, factumque suū, nō Seianū ipsū, defendit. Eius igitur hæc in senatu oratio fuit, qua docet caruisse crimine suam primā cum Seiano coniunctionem: quia nulla dum scelerata consilia eius aut comperta iam, aut in hominum suspicione erant.

Fortunæ quidem meæ fortasse minus expediat ad noscere crimen quā abnuere. Sed vtcunq; casura res est, fatebor & fuisse me Seiano amicum, & vt essem expectasse, & postquam adeptus eram, lætatum. Videram collegam patris regendis prætoris cohortibus, mox vrbs & militiæ munia simul obeūtem. Illius propinqui & adfines honoribus augebantur. Vt quisque Seiano intimus, ita ad Cæsaris amicitiam validus: contrā quibus infensus esset, metu ac sordibus conflictabantur. Nec quenquam exēplo adsumo. Cunctos qui nouissimi consilii expertes fuimus, meo vnus discrimine defendam. Non enim Seianum Vulsiniensem, sed Claudię & Iuliæ domus partem, quas adfinitate occupauerat, tuum Cæsar generum, tui consulatus socium, tua officia in rep. capeffentem, colebamus. Nō est nostrum æstimare quem supra cæteros, & quibus de causis, extollas. Tibi summum rerum iudicium dii dedere, nobis obsequii gloria relicta est. Spectamus porrò quæ corā habentur, cui ex te opes, honores, quīs plurima iuuandi nocendive potētia, quæ Seiano fuisse nemo negauerit. Abditos principis sensus, & siquid occultius parat, exquirere inlicitum, anceps: nec ideo assequare. Ne p. c. vltimum Seiani diem, sexdecim annos cogitaueritis. Etiam Satrium atque Pomponium venerabamur: libertis quoque ac ianitoribus eius notescere pro magnifico accipiebatur. Quid ergo? Indistincta hæc defensio & promiscua dabitur? Imò iustis terminis diuidatur. Insidiæ in remp. consilia cædis aduersum imperatorem puniantur: de amicitia & officiis, idem finis & te Cæsar & nos absoluerit.

NERONIS CAESARIS ORATIO IN

senatu, Ex libro xi.

ARGVMENTVM.

Relatum est ad senatum de explendo senatorum numero. Ambibāt eum honorem, simul & alios, primarii Galliæ Comatæ viri: de quibus legendis quum ageretur in senatu, bona pars patrum summo studio reclamauit, & in contrariam sententiam variè differuit. Cæsar Nero respondit hac oratione, qua conatus est probare nō esse alienum aut ab incolumitate aut à dignitate reip. honores ciuitatis ad peregrinos deferri. Nititur porissimū exemplis ab antiquitate ciuitatis repetitis, qui peregrini ad honores aspirassent, quos enumerat non paucos, tum singulos homines, tum populos vniuersos qui in ciuitatē ascripti essent: quos tamē habuisse ciues, & honores in eos cōtulisse populū Rom. non pœniteret. Antiquissimū quēque patrū fuisse à vicinis populis oriundum, quin fuisse vsque ex Hispania cooptatos. Exempla quoque Græcarum ciuitatum memorat. Ad extremum refellit quod de eius rei, si fieret, insolentia obiiciebatur. Oratio est suaforia, à iure, consuetudine, vtilitate.

MAiores mei, quorū antiquissimus Clausus origine Sabina, simul in ciuitate Romanā & in familias patriciorū adscitus est, hortatur vti paribus cōsiliis rēp. capessam, transferendo huc quod vsquam egregium fuerit. Neque enim ignoro Iulios Alba, Coruncanos Camerio, Porcios Tusculo, & (ne vetera scrutemur) Etruria Lucaniāque & omni Italia in senatum accitos: postremò ipsam ad Alpes promotam, vt non modò singuli viritum, sed terræ gentēsque in nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi quies, & aduersus externā floruius, quū Transpadani in ciuitatem recepti, quū specie deductarum per orbem terræ legionum, additis prouincialium validissimis, fessio imperio subuentum est. Num pœnitet Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros è Gallia Narbonensi transiuisse: Manent posterī eorum, nec amore in hanc patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedæmoniis & Atheniensibus fuit (quanquam armis polerent) nisi quòd victos pro alienigenis arcebant? At conditor nostri Romulus tantum sapientia valuit vt plerosque populos eodem die hostes, dein ciues habuerit. Aduenæ in nos regnauerunt. Libertinorum filiis magistratus mandati, non (vt plerique falluntur) recens, sed priori populo factitatum est. At cum Senonibus pugnauius, scilicet Volsci & Equi nunquam aduersam nobis aciem instruxere: Capti à Gallis sumus, sed & Tuscis obsides dedimus, & Samnitum iugum subiuius. Attamen si cuncta bella recenseas, nullum breuiore spatio quàm aduersus Gallos confectum. Continua inde ac fida pax. Iam moribus, artibus, affinitatibus nostris misti, aurum & opes suas inferant potius quàm separati habeant. Omnia p. c. quæ nunc vetustissima creduntur, noua fuisse. Plebei magistratus post patricos, Latini post plebcios, cæterarum Italia gentium post Latinos. Inueterascet hoc quoque: & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.

C. CASSII ORATIO, Ex lib. XIII.

ARGVMENTVM.

Pedanius Secundus, præfectus vrbis, serui sui insidiis domi oppressus est. Re comperita non de percussore modò, sed etiam de vniuersa familia quæ erat ad quadringentos seruos, supplicium sumi oportebat. Sic enim more maiorum erat comparatum, vt si quod eiusmodi vnus intestinum facinus extitisset, conserui omnes plecterentur. Miserta seruorum plebs Romana voluit eos eripere supplicio: sed bona pars senatus acriter restitit. Quo in numero fuit C. Cassius, qui sententiā rogatus, grauisimè more maiorum defendit. Eius est hæc oratio, qua & maiorum autoritate & ratione ipsa nixus, supplicium in totam familiam decernit. Præfatur à constantia sua in defendendo instituto maiorum. Docet seueritate suppliciorum in seruos consulendum esse omnium dominorum saluti. Esse illud hominum genus & ab suscipiendi audacia & à perpetrati sceleris occultatione deterrendum. vix dominum ita paucorum tecto scelere posse interiri, quin id aliis innotescat. Postremò fatius esse ostendit vt pauci innocentes penas luant, quàm vt eorum impunitate sceleratorum alatur audacia. Suasio est à iure & necessitate.

SA Epenumero p. c. in hoc ordine interfui, quum contra instituta & leges maiorum noua senatus decreta postularentur. Neque sum aduersatus: non quia dubitarem super omnibus negotiis melius atque rectius olim prouisum, & quæ conuerterentur, in deterius mutari: sed, ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer, simul quicquid hoc in nobis autoritatis est, crebris contradictionibus destruendum nō existimabam, vt maneret integrum, si quando resp. consiliis eguisset. Quod hodie tenet, consulari viro domi suæ interfecto per insidias seruiles, quas nemo prohibuit aut prodidit, quanuis nondum concusso senatusconsulto quòd supplicium toti familiæ minitabatur. Decernite hercule impunitatem. At quem dignitas sua defendet, quum præfectura vrbis non profuerit? Quem numerus seruorum tuebitur, quum Pedanium Secundum quadringenti non protexerint? Cui familia opem feret, quæ ne in metu quidem pericula nostra auerit? An (vt quidam fingere non erubescunt) iniurias suas ultus est interfecto, quia de paterna pecunia transegerat, aut auitum mancipium detrahebatur? Pronuntiemus vtrò, dominum iure cæsum videri. Liber argumenta conquirere in eo quod sapientioribus deliberatum est. Sed etsi nunc primùm statuendum habemus, creditisne seruum interficiendi domini animum sumpsisse, vt non vox minax excideret: nihil per temeritatem proloqueretur? Sanè consilium occuluit, telum inter igna ros parauit. Num excubias transiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, eadem

patraret omnibus nesciis: Multa sceleris in dicia præueniunt serui, si prodant. Possimus singuli inter plures, tuti inter anxios, postremò si perendum sit, non inulti inter nocentes agere. Suspecta maioribus nostris fuerunt ingenia seruorum, etiam quum in agris aut domibus iisdem nascerentur, charitatè que dominorum statim acciperent: postquam verò nationes in familiis habemus, quibus diuersi ritus, externa sacra, aut nulla sunt, colluuiem istam non nisi metu coercueris. At quidam infantes peribunt. Nam & ex fuso exercitu quum decimus quisque fuste feritur, etiam strenui fortiantur. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos vtilitate publica rependitur.

SENECAE ORATIO AD CAESAREM

Neronem, Ex eodem libro.

ARGUMENTVM.

Caesar Nero fuerat educatus & institutus a Seneca, homine bonis artibus erudito: eumque ipse eo nomine obseruabat. Sed ut sunt ineuntis ætatis auidæ cupiditates, nec vquam desiciunt principes pestiferi assentatores, habebat suarum libidinum ministros Nero: in his Tigillinum quendam, qui rei suæ augendæ gratia voluptuarii hominem vehementius etiam incendebat. Assentatores, quia videbant obstare suis conatibus cum à Nerone perceptæ disciplinæ reliquias, tum ipsius Senecæ seueritatem, hunc sibi ab imperatore summouendum putant. Itaque eum criminantur apud Neronem. Opes eius immodicas ostendunt, autoritatem capunt, dotes animi (vt eloquentiam) in deteriorem partem trahunt: præsidia esse potentæ interpretantur: grauem esse dicunt Neroni magistri seueritatem. Senecam nihil horum fugiebat: Neronem conuenit, & hac oratione omnes coniectas calumnias diluit. Beneficia imperatoris & præmia accepta commemorat: iis se vsum ad vitæ mediocritatem, non ad fastum, ostendit. Dedit se operam vt Neronem suæ disciplinæ alumnum quam optumiss præceptis imbueret. opes nullas quæsisse. Quia nulla sua culpa, sed inuidorum maleuolentia male audiat, rogat vt bona sua alicui tradantur administranda: sibi verò nihil nisi quod ad honestè degendam vitam requiratur, fruendum concedatur.

Quartusdecimus annus est, Caesar, ex quo spei tuæ admotus sum, octauus vt imperium obtines. Medio temporis tantum honorum atque optim in me cumulasti vt nihil felicitati meæ desit nisi moderatio eius. Vt magnis exemplis, nec meæ fortunæ, sed tuæ. Atauus tuus Augustus, M. Agrippæ Mitylenensè secretum: C. Mecænat, vrbe in ipsa, velut peregrinum otium permisit. quorum alter, bellorum socius, alter, Romæ pluribus laboribus iactatus, ampla quidem, sed pro ingentibus meritis præmia acceperant. Ego quid aliud munificentiae adhibere potui quàm studia (vt sic dixerim) in umbra educata: è quibus claritudo venit, quod iuuentæ tuæ rudimentis affuisse videor, grande huius rei pretium. At tu gratiam immensam, innumeram pecuniam dedisti, adeo vt plerunque intra me ipse voluam, Egone equestri & prouinciali loco ortus, proceribus ciuitatis annumeror? Inter nobiles & longa decora præferentes, nouitas mea enituit? Vbi est animus ille modicis contentus? Tales hortos instruit, & per hæc suburbana incedit, & tantis agrorum spatiis, tam lato fœnore exuberat: Vna defensio occurrit, quod muneribus tuis obniti non debui. Sed vterque mensuram impleuimus, & tu quantum princeps tribuere amico posset, & ego quantum amicus à principe accipere. Cætera inuidiam augent. quæ quidem, vt omnia mortalia, infra tuam magnitudinem iacent, sed mihi incumbunt: mihi subueniendum est. Quo modo in militia aut via fessus administrandum orarem, ita in hoc itinere vitæ, senex & leuissimis quoque curis impar, quum opes meas vltra sustinere nõ possim, præsidium peto. lube eas per procuratores tuos administrari, in tuam fortunam recipi. Nec me in paupertatem ipse detrudam, sed traditis quorum fulgore perstringor, quod temporis hortorum aut villarum curæ seponitur, in animum reuocabo. Superest tibi robur, & tot per annos nixum fastigii regimen, possumus seniores amici quiete respondere. Hoc quoque in tuam gloriam cedit, eos ad summa vexisse qui & modica tolerarent.

NBR. AD SENECAM RESPONSIO, Ex eod. lib.

ARGUMENTVM.

Respondet præceptoris defensionem Nero, singula ab illo proposita capita persequens.

Institutionis gratam memoriam testatur. Illius causas affert, & consequuta commoda prædicat: beneficentiam suam erga illum extenuat. Inuidiæ causas quæ captabantur, remouet. Parcius etiam donatum illum à se quàm pro meritis. Vt verò ipsi bonorum administratione interdicator, neutri honestum esse ostendit: sibi multò etiam ignominiosius, pro eo enim habitum iri ac si beneficia collata reposceret.

AVus meus Augustus Agrippæ & Mæcenati vsurpare otium post labores concessit, sed in ea ipsa ætate, cuius autoritas tueretur quicquid illud & qualecunque tribuisset. attamen neutrum datis à se præmiis exiit. Bello & periculis meruerant. in his enim iuuenta Augusti versata est. Nec mihi tela & manus tuæ defuissent in armis agentis: sed quod præsens conditio poscebat, ratione, consilio, præceptis pueritiam, dein iuuentam meam fouisti. Et tua quidem erga me munera, dum vita suppetet, æterna erunt. Quæ à me habes, horti & fœnus & villæ, casibus obnoxia sunt: ac licet multa videantur, plerique haudquaquam artibus tuis pares, plura tenuerunt. Pudet referre libertinos, qui ditiores spectantur. Vnde etiam rubori mihi est quòd præcipuus charitate, nõdum omnes fortuna antecellis. Verum & tibi valida ætas, rebusque & fructui rerum sufficiens, & nos prima imperii spatia ingredimur: nisi fortè aut te Vitellio ter consuli, aut me Claudio præponis. Sed quantum Volusio longa parsimonia quæsiuit, tantum in te mea liberalitas explere non potest. Quin si qua in parte lubricum adolescentiæ nostræ declinat, reuocas, inornatumque robur subsidio impensus regis. Non tua moderatio, si reddideris pecuniam, nec quies, si reliqueris principem, sed mea auaritia, meæ crudelitatis metus in ore omnium versabitur. Quòd si maxime continentia tua laudetur, non tamen sapienti viro decorum fuerit, vnde amico infamiam parat, inde gloriam sibi recipere.

PAETI THRASEAE ORATIO,

Ex libro xv.

ARGUMENTVM.

Funestus fuit immensis supplicii Neronis principatus: quippe tyrannidem nisi per crudelitatem retineri posse diffidebat. Per ea tempora reus factus est iniuriarum Claudius Timarchus Cretensis. Cui inuidiam conflauit apud populares præstantia quædam dignitatis, & paulo maior potentia, apud senatum verò Romanum dictum quiddam ab eo confidentius (sic enim ipsi interpretabantur) in auctoritatem Romanorum. Cõstabat dixisse eum, in sua esse potestate vt nullæ agerentur de more gratiæ Cretensi proconsuli. Eum Thræsea hic damnauit sua sententia exilii: dixitque de eadem re deinde copiosius & acerbius: censuitque vt autoritas non senatus modò, sed etiam singulorum qui ad obtinendas prouincias mittuntur, seueritate constitueretur & retineretur. peregrinorum licentiam esse coercendam, vt ius imperii sacrosanctum conseruetur.

VSu probatum est p.c. leges egregias, exempla honesta, apud bonos ex delictis aliorum gigni. Sic oratorum licentia, Cinciam rogationem: candidatorum ambitus, Iulias leges: magistratuum auaritia, Calpurnia scita, pepererunt. Nam culpa quàm poena tempore prior, emendari quàm peccare posterius est. Ergo aduersus nouam prouinciarum superbiam dignum fide constantiâque Romana capiamus consilium, quo tutelæ sociorum nihil derogetur, nobis opinio decedat, qualis quisque habeatur alibi quàm in ciuium iudicio esse. Olim quidem non modò prætor aut consul, sed priuati etiam mittebantur qui prouincias uiserent, & quid de cuiusque obsequio videretur, referrent: trepidabantque gentes de æstimatione singulorum. At nunc colimus externos, & adulamur, & quomodo ad nutum alicuius grates, ita promptius accusatio decernitur. Decernaturque, & maneat prouincialibus, potentiam suam tali modo ostentandi: sed laus falsa & precibus expressa perinde cohibeantur quàm malitia, quàm crudelitas. Plura sæpe peccantur dum demeremur, quàm dum offendimus. Quædam imò virtutes odio sunt, seueritas obstinata, inuictus aduersus gratiam animus. Inde initia magistratuum nostrorum meliora ferme, & finis inclinatur, dum in modum candidatorum suffragia conquirimus: quæ si arceantur, æqualius atque constantius prouinciæ regentur. Nam vt metu repetundarum infracta auaritia est, ita vetita gratiarum actione ambitio cohibetur.

CAPITONIS COSSVTIANI AD NERONEM
 Caesarem oratio, Ex lib. x v i.

ARGUMENTVM.

Nero, qua erat crudelitate imbutus, eadem optimi cuiusque anhelabat, & illustrissimis de medio sublatis fauere in duos singulari virtute spectatos decreuerat, Thraseam, Baream Soranum. Habebat administratos suarum cupiditatum pestiferos homines, paratos ad illius scelera exequenda: in his Capitonem quandam Cossutianum, qui suo etiam nomine infensus erat Thraseae. Is commodum sibi ad vltiscendum inimicum, & ad augendam suam apud Neronem gratiam offerri ratus, sua sponte incensum animu Neronis, in hominem innocetem incitauit, multis inuidiose commemoratis quae a Thrasea fortiter & seuerè fiebant in improbanda Neronis libidine & importunitate. Criminatur eum callidus tyranni assentator, quod per speciem libertatis defendenda, Caesari esset inimicus, eiusque autoritatem atque adeo maiestatem minueret.

VT quondam C. Caesarem (*inquit*) & M. Catonem, ita nunc te Nero & Thraseam auida discordiarum ciuitas loquitur. Et habet sectatores, vel potius satellites, qui nondum contumaciam sententiarum, sed habitum vultumque eius sectantur, rigidi & tristes, qui tibi lasciuiam exprobrent. Huic vni incolumitas tua sine arte, sine honore. Prosperas principis res spernit, etiam ne luctibus & doloribus non fatiatur? Eiusdem animi est, Poppaeam diuam non credere, cuius in acta diui Augusti & diui Iulii non iurare. Spernit religiones, abrogat leges. Diurna populi Romani, per prouincias, per exercitus, accuratius leguntur, ut noscatur quid Thrasea non fecerit. Aut transeamus ad illa instituta, si potiora sunt: aut noua cupientibus auferatur dux & autor. Ista secta Tuberoes & Faunianos, veteri quoque reipub. ingrata nomina genuit. Ut imperium euertant, libertatem praeferunt: si peruerterint, ipsam aggredientur. Frustra Cassium amouisti, si gliscere & vigere Brutorum aemulos passurus es. Denique nihil ipse de Thrasea scripseris, disceptatorem senatum nobis relinque.

GALBAE IMP. ORATIO AD PISONEM

Ex lib. xvii.

ARGUMENTUM.

Sergius Galba caeso Nerone imperium occupauit: sed affecta iam erat aetate, & liberos habebat nullos. Ea re despiciatui erat non inuidis tantum sed etiam vulgo. Itaque statuit vedicare se ab hoc hominum contemptu, adoptato nobili aliquo & honesto adolescente in spem imperii. Placuit autem illi Piso Licinianus cognomento Frugi, adolescens ab omni laude perfectus. Hunc sibi adoptione asciuit: exposuitque adolescenti beneficium suum, & de eo iudicium. Cuius sermonis summam complectitur hac oratione Tacitus: qua Pisoni ius omne & causas adoptionis, rationem & consilium suum exponit Galba. Beneficii magnitudinem ostendit: & quid vicissim ab eo ipse postulet & expectet. Hortatur ut hanc de se expectationem virtute & honestate omni sustineat atque expleat. Illecebras desciscendi ab officio, quae saepe offeruntur, ei aperit. Monet ut se aduersus eas munit, integrumque ab omni labe praestet.

SI te priuatus lege Curiata apud Pontifices, ut moris est, adoptarem, & mihi egregium erat tunc Pompeii & M. Crassi sobolem in penates meos asciscere, & tibi insigne Sulpitiae ac Lucretiae decora, nobilitati tuae adiecisse. Nunc me deorum hominumque consensu ad imperium vocatum, praecleara indoles tua & amor patriae impulit ut principatum de quo maiores nostri armis certabant, bello adeptus, quiescenti offeram, exemplo diui Augusti, qui sororis filium Marcellum, dein generum Agrippam, mox nepotes suos, postremo Tiberium Neronem priuignum, in proximo sibi fastigio collocauit. Sed Augustus in domo successorem quaesuit, ego in rep. non quia propinquos aut socios belli non habeam: sed neque ipse imperium ambitione accepi, ut iudicii mei documentum sit, non meae tantum necessitudines, quas tibi postposui, sed tuae. Est tibi frater pari nobilitate, natu maior, dignus hac fortuna, nisi tu potior esses. Ea aetas tua quae cupiditates adolescentiae iam effugerit: ea vita, in qua nihil praeteritum excusandum habeas. Fortunam adhuc tantum aduersam tulisti. Secundae res acrioribus stimulis animum explorant, quia miseriae tolerantur, felicitate corrumimur. Fidem, libertatem, amicitiam,

(præcipua humani animi bona) tu quidem eadem constantia retinebis: sed alii per obsequiū imminuent. Irrumpet adulatio, blanditiæ (pessimum veri affectus venenum) sua cuique vtilitas. Etiam ego ac tu simplicissimè inter nos hodie loquimur, cæteri libètius cum fortuna nostra quàm nobiscum. Nam suadere principi quod oporteat, multi laboris. Assentatio erga principem quencumque, sine affectu peragitur. Si imensum imperii corpus stare ac librari sine rectore posset, dignus eram à quo resp. inciperet. Nūc eò necessitatis iam pridem ventum est, vt nec mea senectus conferre plus populo Rom. possit quàm bonū successorem, nec tua plus iuuetā quàm bonum principem. Sub Tiberio & Caio & Claudio vnus familiæ quasi hæreditas fuimus. loco libertatis erit quòd eligi cœpimus. Et finita Iuliorum Claudiorumque domo, optimum quenque adoptio inueniet. Nam generari & nasci à principibus, fortuitum, nec vltra æstimatur: adoptandi iudicium, integrum, & si velis eligere, consensu monstratur. Sit ante oculos Nero, què longa Cæsarum serie tumentem non Vindex cum inermi prouincia, aut ego cum vna legione, sed sua immanitas, sua luxuria ceruicibus publicis depulere. Neque erat adhuc damnati principis exemplum. Nos bello & ab æstimantibus asciti, cum inuidia, quanuis egregiū, erimus. Ne tamen territus fueris si duæ legiones in hoc concussi orbis motu nōdum quiescunt. Ne ipse quidem ad securas res accessi: & audita adoptione, desinā videri senex, quod nunc mihi vnum obiicitur. Nero à pessimo quoque semper desiderabitur: mihi ac tibi prouidendum est ne etiam à bonis desideretur. Monere diutius neque temporis huius, & impletum est omne consilium, si te bene elegi. Vtilissimus quidem ac breuissimus bonarum malarumque rerū delectus, cogitare quid aut nolueris sub alio principe, aut volueris. Neque enim hīc vt in cæteris gentibus quæ regnantur, certa dominorum domus, & cæteri serui: sed imperaturus ex hominibus qui nec totam seruitutē pati possunt, nec totam libertatem.

OTHONIS ORATIO AD MILITES,

Ex eodem libro.

ARGUMENTVM.

Mortuo Nerone Casare duæ erant Romæ factiones de imperatore subrogando: Galbam alii, alii Othonem nominabant. Galba potius est imperio, stante adhuc in integro aduersario Othone, quem exercitus erat complexus, & ad eum imperium detulerat. Itaque res in summam contentionem est adducta. Sed quum aliquando falsus nuntius interfectum Othonem Romam attulisset, exceptusque esset summo plausu & gratulatione multitudinis & totius populi, qui Galbam tuebatur, cœpit vehementius sibi timere Otho. Itaque vt sibi exercitum conciliaret & fidem illius confirmaret, hanc habuit orationem: qua primū commemorat voluntatem & autoritatem exercitus, qua fuerat ab eo creatus & nominatus imperator. Deinde conqueritur iniurias, audaciam, crudelitatem, superbiam aduersarii. Inuehitur in illius fautores. Commune esse periculum, & in eadem eos esse nauī ostendit. Postremò ad autoritatem suam retinendam & salutem vindicandam hortatur, & in hostes acuit.

Quis ad vos processerim commilitones, dicere non possum, quia nec priuatum me vocari sustineo, princeps à vobis nominatus, nec principem, alio imperante. Vestrum quoque nomen in incerto erit, donec dubitabitur imperatorem populi Romani in castris, an hostem habeatis. Auditisne vt pœna mea & supplicium vestrum simul postulentur: adeo manifestum est, neque perire nos neque saluos esse, nisi vnā, possē. Et, cuius leuitatis est Galba, iam fortasse promisit, vt qui nullo exposcente, tot milia innocentissimorum ciuium trucidauerit. Horror animum subit, quoties recordor feralem introitum, & hanc solam Galbæ victoriam, quum in oculis vrbis decumari deditos iuberet, quos deprecantes in fidem acceperat. His auspiciis urbem ingressus, quanta gloriam ad principatū attulit, nisi occisi Obultronii Albini & Marcelli in Hispania, Beruichilonis in Gallia, Fonteii Capitonis in Germania, Clodii Macri in Africa, Ciconii in via, Turpiliani in vrbe, Nymphidii in castris: Quæ vsquam prouincia, quæ castra sunt nisi cruenta & maculata, aut (vt ipse prædicat) emendata & correctā? Nam quæ alii scelera, hic remedia vocat, dum falsis nominibus seueritatem pro sæuitia, parsimoniam pro auaritia, supplicia & contumelias vestras, disciplinam appellat. Septem à Neronis fine menses sunt, & iam plus rapuit Hycelus quàm quod Polycleti & Vatini & Egii & alii parauerunt. Minore auaritia aut licentia grassatus esset T. Iunius, si ipse imperasset. Nūc

& subiectos nos habuit, tanquam suos, & viles, vt alienos. Vna illa domus sufficit donatio quod vobis nunquam datur, & quotidie exprobratur. Ac ne qua saltē in successore Galbæ spes esset, accersit ab exilio quem tristitia & avaritia sui simillimum iudicabat. Vidistis commilitones notabili tempestate etiam deos infauftam adoptionē aduersantes. Idem senatus, idem populi Rom. animus est. Vestra virtus expectatur, apud quos omne honestis consiliis robur, & sine quibus quauis egregia, inualida sunt. Non ad bellū vos, nec ad periculum voco: omnium militum arma nobiscum sunt. nec vna cohors togata defendit nunc Galbam, sed detinet. Quum vos aspexerit, quum signum meum acceperit, hoc solum erit certamen, quis mihi plurimum imputet. Nullus cunctationi locus est in eo consilio quod non potest laudari nisi peractum.

OTHONIS ORATIO AD MILITES,
Ex eodem libro.

ARGUMENTVM.

Paucis diebus quā rerum potitus erat in Romano imperio Otho Syluius, paucorū militum errore, quos inanis suspicio insidiarum terruerat, atrocissima erat in vrbe cōflata de nocte seditio. Quæ vis, vt re ipsa pro salute imperatoris suscepta erat, cuius vitæ illi metuebant, ita in senatū à quo vim timebant, intendi putabatur: vel maximè quòd armati imperum fecerant in palatium, vbi Otho cum clarissimis senatoribus epulabatur. Qui plurimum sua interesse iudicās, vt abesset ab omni iniuria omnique metu senatus, seditionem & in præsentia sedare, & postridie seuerius coercere conatus est, quū nondum ille ardor penitus deferuisset. Cōuocatam igitur multitudinem increpat, sed lenius, quòd intelligebat non ad suam perniciem sed ad incolumitatem capta esse ab illis arma. Docet igitur, quanta sit culpa in illo militari motu leuissima de causa concitato. Esse enim id hominum qui omnium eorum quæ fiunt velint causas nosse, & ad se reuocare. Iura militum ostendit, & quanta ab illis requiratur modestia. Sanctitatem senatus inculcat, quæ hoc furore militari attentata est. Docet illius incolumitate imperii stabilitatem contineri. Paucos ad pœnam deposcit, quorum præcipuè fuerat in eo motu audacia.

NEque vt affectus vestros in amorem mei accenderem commilitones, neque vt postulaturus à vobis temperamētū vestræ fortitudinis, & erga me modū charitatis. Tumultus proximi initiū, non cupidine & odio, quæ multos exercitus in discordiam egere, ac ne detrectatione quidem aut formidine periculorū, nimia pietas vestra acrius quàm consideratius excitauit. Nam sæpe honestas rerum causas (ni iudicium adhibeas) perniciosi exitus consequuntur. Imus ad bellum. Num omnes nuntios palām audiri, omnia consilia cūctis præsentibus tractari, ratio rerum aut occasionum velocitas patitur? Tam nescire quædam milites quàm scire oportet. Ita se ducum autoritas, sic rigor disciplinæ habet, vt multa per centuriones tribunosque tantum iuberi expediat. Si vbi iubeantur, quærere singulis liceat, pereunte obsequio etiam imperium intercidit. An & illic nocte intempesta rapiuntur arma? Vnus alterue perditus ac temulentus (neque enim plures cōsternatione proxima insanisse crediderim) centurionis ac tribuni sanguine manus imbuet? Imperatoris sui tentorium irrumperet? Vos quidem istud pro me. Sed in discursu ac tenebris, & rerum omnium cōfusione patefieri occasio etiam aduersus me potest. Si Vitellio & satellitibus eius eligendi facultas detur, quem nobis animum, quas mentes imprecantur? Quid aliud quàm seditionem & discordiam optabūt? Ne miles ceterioni, ne centurio tribuno obsequatur: hinc confusi pedites equitesque in exitium ruamus. Parèdo potius commilitones, quàm imperia ducum sciscitando res militares continentur. Et fortissimus in ipso discrimine exercitus est, qui ante discrimen quietissimus. Vobis arma & animus sit, mihi consilium & virtutis vestræ regimen relinquite. Paucorum culpa fuit, duorum pœna erit: cæteri abolete memoriam foedissimæ noctis, ne illas aduersus senatum voces vllus vnquam exercitus audiat. Caput imperii & decora omnium prouinciarum ad pœnam vocare, non hercle illi quos nunc maximè Vitellius in nos ciet, Germani audeant. Vlline Italiæ alumni, & Romana verè iuuentus, ad sanguinem & cædem deposcerent ordinem cuius splendore & gloria sordes & obscuritatem Vitellianarum partium perstringimus? Nationes aliquas occupauit Vitellius: imaginem quædam exercitus habet: senatus nobiscum est. Sic fit vt hinc respub. inde hostes reip. constiterint.

stiterint. Quid: vos pulcherrimam hanc urbem domibus & tectis & congestu lapidum stare creditis? Muta ista & inania intercidere ac reparari promiscuè possunt. Aeternitas rerum, & pax gentium, & mea cum vestra salus, incolumitate senatus firmatur. Hunc auspicato à parente & conditore urbis nostræ institutum, & à regibus vsque ad principes continuum & immortalem, sicut à maioribus accepimus, sic posteris tradamus. Nam vt ex vobis senatores, ita ex senatoribus principes nascuntur.

OTHONIS ORATIO, Ex eod. lib.

ARGUMENTVM.

Certabant de imperio Otho & Vitellius, ille de retinendo, hic de occupando. Ad manus ventum est. Victoria penes Vitellium fuit, sed ea minimè incruenta. Magnam enim eadem eo prælio acceperat. Itaque rogant Othonem sui ne frangatur animo, nec in rebus aduersis contrahatur, sed bellum reparet. Non deesse vires, recentes venire legiones: animos verò nusquam alacriores, modò ne ipse despòdeat. Otho qui iam de morte consciscenda cogitasset, recusat: & causas cur nolit vti ad hoc eorum obsequio, affert duas. vnam, quòd imperium desperet sibi fore diuturnum: alteram, quòd ne si retineri quidem posse speret, tamè velit ciuili sanguine & tam fœdis cædibus partium habere. itaque cedere aduersario velle perseuerat.

HVnc (*inquit*) animum, hanc virtutem vestram vltro periculis obiicere, nimis grande vitæ meæ pretiū puto. Quàto plus spei ostēditis, si viuere placeret, tãto pulchrior mors erit. Experti inuicem sumus ego ac fortuna. Ne tempus còputaueritis. Difficilius est temperare felicitati qua te nò putes diu vsurum. Ciuile bellū à Vitellio cœpit, & vt de principatu certaremus armis, initiū ille fuit: ne plusquã semel certemus, penes me exemplum erit. Hinc Othonem posteritas æstimet. Fruetur Vitellius fratre, còiuuge, liberis: mihi non vltione neque solatiis opus est. Alii diutius imperium tenuerunt, nemo tã fortiter reliquerit. An ego tantum Romanæ pubis, tot egregios exercitus sterni rursus, & reipub. eripi patiar? Eat hic mecum animus, tãquam perituri pro me fueritis. Sed este superstitēs, nec diu moremur, ego incolumitatem vestram, vos còstantiam meam. Plura de extremis loqui, pars ignauitæ est. Præcipuum destinationis meæ documentum habete, quòd de nemine queror. Nam incusare deos vel homines, eius est qui viuere velit.

MVTIANI ORATIO, Ex eod. lib.

ARGUMENTVM.

Imperabat oppresso Othone Vitellius. Eius imperium indignè ferebant nobilissimi homines, & ad alium transferri cupiebant: maximè verò Mutianus, magni vir nominis, impulit Vespasianum ad deturbandum Vitellium, & inuadendum dominatum. Eius consilii summa hac oratione est conclusa. Autor est ei ne tantam labem patiat imperio Rom. inuri, vt illud ab homine indignissimo & impurissimo teneatur. Tota oratio consistit in causis suscipiendis, & in adiumentis rei perficiendæ. Causas suscipiendi affert: turpitudinem qua contaminatum esset imperium ab homine fœdissimo: nobilitatem generis, splendorem, virtutem in Vespasiano, illustres eius liberos. imperium Vitellii non tantum ignominiosum esse, sed etiam illis periculosum. Facultates verò perficiendi affert, studium multorum in eum, robur legionum firmissimarum.

OMnes qui magnarum rerum consilia suscipiunt, æstimare debēt an quòd inchoatur, reip. vtile, ipsis gloriosum aut promptum effectum, aut certè non arduum sit. Simul ipse qui suadet considerandus est, adiiciatne consilio periculum suum, & si fortuna cœptis affuerit, cui summum decus acquiratur. Ego te Vespasiane ad imperiū voco, tam salutare reip. quàm tibi magnificum. Iuxta deos in tua manu positū est. Nec speciem adulantis expaueris, à contumelia quàm à laude propius fuerit, post Vitellium elige. Non aduersus diui Augusti acerrimam mentem, nec aduersus cautissimam Tiberii senectutem, nec contra Caii quidem aut Claudii vel Neronis fundatam longo imperio domum exurgimus. Cessisti etiam Galbæ imaginibus. Torpere vltà & polluedam perdendã. que reip. relinquere, sopor & ignauia videretur, etiamsi tibi quàm inhonestam, tam tuta seruitus esset. Abiit iam & trasuectum est tempus quo posses videri concupisse. Confugiendum est ad imperium. An excidit trucidatus Corbulo: Splēdidior origine quàm nos sumus, fateor. Sed & Nero nobilitate nataliū Vitelliū anteibat. Satis clarus est

apud timentem quisquis timetur. Et posse ab exercitu principem fieri, sibi ipse Vitellius documento est, nullis stipendiis, nulla militari fama, Galbæ odio prouectus. Ne Othonem quidem ducis arte aut exercitus vi, sed præpropera ipsius desperatione victum, iam desiderabilem & magnum principem fecit. Quum interim spargit legiones, exarmat cohortes, noua quotidie bello semina ministrat. Siquid ardoris ac ferociæ miles habuit, popinis & comestationibus & principis imitatione deteritur. Tibi è Iudæa & Syria & Aegyptio nouem legiones integræ, nulla acie exhaustæ, non discordia corruptæ: sed firmatus vsu miles & belli domitor externi. Classium, alarum, cohortium robora, & fidissimi reges, & tua ante omnes experientia. Nobis nihil vltra arrogabo quàm ne post Valentem & Cecinnam numeremur. Ne tamen Mucianum socium spreueris, quia æmulum non experiris. Me Vitellio antepono, te mihi. Tuæ domui triumphale nomen, duo iuuenes, capax iam imperii alter, & primis militiæ annis apud Germanicos quoque exercitus clarus. Absurdum fuerit, non cedere imperio ei cuius filium adoptaturus essem si ipse imperarem. Cæterum inter nos non idem prosperarum aduersarumque rerum ordo erit. Nam si vincimus, honorem quem dederis habebō, discrimen ac periculum ex æquo partiemur. Imò, vt melius est, tu hos exercitus rege, mihi bellū & præliorum incerta trade. Acriore hodie disciplina victi quàm victores agunt. Hos ira, odium, vltionis cupiditas ad virtutem accendit, illi per fastidium & contumaciam hebescunt. Aperiet & recludet contecta victricium partium & tumescencia vulnera bellū ipsum. Nec mihi maior in tua vigilantia, parsimonia, sapientia, fiducia est, quàm in Vitellii torpore, inficitia, fæuitia. Sed & meliorem in bello causam quàm in pace habemus. nam qui deliberant, descuerunt.

CVRTII MONTANI ORATIO,

Ex libro xx.

ARGVMENTVM.

Aquilius Regulus Neroni se ministrum in crudelitate præbuerat, & per eum fuerat euerfa Crassorum & Orphiti, clarorum hominum, domus, quum is crimē illorum, cuius tamen particeps fuerat, detulisset. Inde magna erat ei conflata inuidia. Et quum in alios qui eiusdem crudelitatis fuerant, animaduersum esset, hic quoque reus est factus ab vxore & liberis Crassi. Sed pro eo dicebat frater Vipsianus Messala: & inuidiam deprecando iam quodammodo restinerat. Ibi Curtius Montanus exarsit, & in reum hac oratione vehementissimè est inuectus, præstitam tyrāno operam exaggerans, crudelitatem, rapinas, libidinem, vexationem innocentum, truculentam & funestam vocem ad incitandam tyranni fæuitiam obiiciens. Pestes esse reip. & semina tyrannidis id genus homines: ad quæ extirpanda senatum impellit.

Occurrit truci oratione Curtius Montanus eo usque progressus, ut post eadem Galba, datam interfectori Pisonis pecuniam à Regulo, appetitum morsu Pisonis caput obiectaret. Hæc certè (inquit) Nero non coegit nec dignitatem aut ista lucem fæuitia redemisti. Sanè toleremus istorum defensionem, qui perdere alios quàm periclitari ipsi maluerint. Te securum reliquerat exul pater, & diuisa inter creditores bona: nondum honorum capax ætas: nihil quod ex te concupisceret Nero, nihil quod timeret. Libidine sanguinis & hiatu præmiorum, ignotum adhuc ingenium & nullis defensionibus expertum, cæde nobili imbuiisti, quum ex funere reipublicæ raptis cōsularibus spoliis, septuagies sestertio signatus, & sacerdotio fulgens, innoxios pueros, illustres senes, cōspicuas foeminas eadem ruina prosterneret: quum segnitiam Neronis incufares, quod per singulas domos seque & delatores fatigaret: posse vniuersum senatū vna voce subverti. Retinete Patres conscripti, & reseruate hominem tam expediti consilii, vt omnis ætas instructa sit, & quomodo senes nostri Marcellum Crispum, iuuenes Regulum imitentur. Inuenit etiam æmulos infelix nequitia. Quid si floreat vigeatque? Et quem adhuc quæstorium offendere non audemus, pratorium & consularem visuri sumus? An Neronem extremum dominorum putatis? Idem crediderat qui Tiberio, qui Caio superstites fuerunt, quum interim instabilior & fæuor exortus est. Non timeamus Vespasianum: ea principis ætas, ea moderatio. Sed diutius durant exempla quàm mores. Elanguimus p. c. nec iam ille senatus sumus, qui occiso Nerone, delatores & ministros, more maiorū puniēdos flagitabat. Optimus est post malū principē dies primus.

EX TACITO COLLECTAE.
LEGATI TENCTERORVM ORATIO,
Ex eodem libro.

155

ARGVMENTVM.

Deleto Romanorum exercitu à Germanis, & depulso eorum iugo, initum est confilium à Germanis de Agrippinēsi colonia, quæ in Romanorū imperio permanebat. Excindi eam placebat nonnullis: mitius agendum alii censuerunt, satique habuerunt eam ad societatem Germanorum reuocare. Ea re missa est ab iis legatio, cuius princeps hanc orationem in illius coloniae concilio habuit. Gratulatus est illis libertatem: mandata exposuit Germanorum de moenibus diruendis, Romanorum reliquiis tollendis, & eorū bonis publicandis, vectigalibus abrogandis, quæ pensitabant Romanis, de commerciis secum communicandis, de institutis Germaniae restituendis.

R Edisse vos in corpus nomēque Germaniae, communibus deis, sed præcipuo deorum Marti grates agimus. Vobisque gratulamur quòd tandem liberi inter liberos eritis. Nam ad hunc diem flumina ac terras & cælum quòdammodo ipsum clauerant Romani, vt colloquia congressusque nostros arcerent, vel, quòd contumeliosius est viris ad arma natis, inermes ac propè nudi sub custode & pretio coiremus. Sed vt amicitia societasque nostra in æternum rata sint postulamus à vobis, muros coloniae, munimenta seruitii detrahatis. Etiam fera animalia si clausa teneas, virtutis obliuiscuntur. Romanos omnes in finibus vestris trucidetis. Haud facillè libertas & domini miscentur. Bona interfectorum in medium cedant, ne quis oculere quicquam aut segregare causam suam possit. Liceat nobis vobisque vtrunque ripam colere, vt olim maioribus nostris. Quomodo lucem diemque omnibus hominibus, ita omnes terras fortibus viris natura aperuit. Instituta cultumque patrium resumite, abruptis vectigalibus quibus Romani plus aduersus subiectos quàm armis valent. Sincerus & integer, & seruituris oblitus populus, aut ex æquo agetis, aut aliis imperitabitis.

AGRIPPINENSIVM ORATIO, Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Respondet legatis Germanorum Agrippinenses, ancipiti sententia inter metum Germanorum & Romanorum. Itaque eorum quæ illi edixerat, nonnulla concedunt, alia excusant. In muris opponunt securitatem: in Romanorum cadibus faciendis, coniunctionem & vetustatem, & ius consanguinitatis. De vectigalibus, commerciis & institutis legatis, quæ propulerant, assentiuntur.

Q VAE prima libertatis facultas data est, auidius quàm cautius sumpsimus, vt vobis cæterisque Germanis consanguineis nostris iungeremur. Muros ciuitatis congregantibus se tum maximè Romanorum exercitibus, augere nobis quàm diruere tutius est. Siqui ex Italia aut prouinciis alienigenæ in finibus nostris fuerant, eos bellum absumpsit, vel in suas quisque sedes refugere. Deductis olim & nobiscum per cõnubium sociatis, quique mox prouenere, hæc patria est. Nec vos adeo iniquos existimamus, vt interfici à nobis parentes, fratres, liberos nostros, velitis. Vectigal & onera merciorum resoluimus. Sint transitus incustoditi, sed diurni & inermes, donec noua & recentia iura in vetustatem & consuetudinem vertantur. Arbitrum habebimus Ciuile & Velledam, apud quos pacta sancientur.

CERIALIS ORATIO, Ex lib. xx.

ARGVMENTVM.

Bellum gerebat aduersus Germanos exercitus Romanus nomine & auspiciis Vespasiani Cæsaris. Huius belli summa penes Petilum Cerialem erat. Desciuerat autem ab imperatore legiones aliquot ex Gallis conscriptæ, seque ad hostes contulerant, quorum erant duces Ciuilis Clasticus & Tutor. Re bene à Ceriali gesta, quanuis debellatum nondum erat, sed malè tamen agebatur cum hostibus. in perfidos & desertores vt animaduerteretur plerique urgebant. Lenius tamen Treuiros qui ab hostibus fuerant, accepit Cerialis. Accitæ deinde sunt legiones illæ. Eas magnus supplicii terror inuaserat, sed nihil in eas statuendum sibi grauitus putauit Cerialis, deditque facti impunitatem. Verùm hac oratione cohortatus est eas ad fidem in Cæsarem constantius in posterum colendā. Belli causas repetiit: ostendit iustas, necessarias, summa æquitate nixas. Æquitatem & cle

O.ii.

mentiam imperii inculcauit. Officii commonefecit, vt parerēt imperio Romano quod salutare sibi esse intelligerent: quippe in fide essent & tutela Romanorum.

NEque ego vnquam facundiā exercui, & populi Romani virtutem armis affirmavi. Sed quia apud vos verba plurimum valent, bonāque ac mala non sua natura, sed vocibus seditiosorum æstimantur, statui pauca differere quæ, profligato bello, vtilius sit vobis audisse quàm nobis dixisse. Terram vestram cæterorumque Gallorum ingressi sunt duces imperatoresque Romani, nulla cupidine, sed maioribus vestris inuocantibus quos discordiæ vsque ad exitiū fatigabant, & acciti auxilio Germani sociis pariter atque hostibus feruitutem imposuerant. Quod præliis aduersus Cymbros Teutonisque, quāris exercituum nostrorum laboribus, quouē euentu Germanica bella tractauerimus, satis clarum. Nec ideo Rhenum infedimus vt Italiam tueremur, sed ne quis alius Ariouistis regno Galliarum potiretur. An vos chariores Ciuili Batauisque & Transrhænanis gentibus creditis quàm maioribus eorum patres auique vestri fuerunt? Eadem semper causa Germanis transcendendi in Gallias, libido atque auaritia, & mutandæ sedis amor, vt relictis paludibus & solitudinibus suis, fœcundissimum hoc solum vosque ipsos possiderent. Cæterum libertas & speciosa nomina prætexuntur. Nec quisquam alienum seruitium & dominationem sibi concupiuit, vt non eadem ista vocabula vsurparet. Regna bellaque per Gallias semper fuere, donec in nostrum ius cōcederetis. Nos quanquam toriens laceffiti, iure victoriæ id solum vobis addidimus quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt. Cætera in communi sita sunt. Ipsi plerunque legionibus nostris præsidetis. Ipsi has aliāsque prouincias regitis. nihil separatim clausumue. Et laudatorum principum vsus ex æquo, quanuis procul agentibus. Sæui proximis ingruunt. Quomodo sterilitatem aut nimios hymbres & cætera naturæ mala, ita luxum vel auaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines. Sed neque hæc continua, & meliorum interuentu pensentur: nisi fortè Tutore & Classico regnantibus, moderatius imperium speratis, aut minoribus quàm nunc tributis parabuntur exercitus quibus Germani Britannique arceantur. Nam pulsus (quod dii prohibeant) Romanis, quid aliud quàm bella omnium inter se gentium existent? Octingentorum annorum fortuna disciplinæque compages hæc coaluit, quæ conuelli sine exitio conuellentium non potest. Sed vobis maximum discrimen, penes quos aurum & opes, præcipuæ bellorū causæ. Proinde pacem & urbem quam victi victoresque eodem iure obtinemus, amate, colite. Moneant vos vtriusque fortunæ documenta, ne cōtumaciam cum perniciæ quàm obsequium cum securitate malitis.

CIVILIS ORATIO, sed mutilata.

Ex libro XXI.

ARGUMENTVM.

Ciuilis perfuga à Romanis ducem se Batauis aduersus Romanos præbuerat. Bellum diuturnum vario euentu gesserat, tamen multo pluribus acceptis cladibus quàm illatis. Itaque attritis Bataurorum viribus, Cerialis Romanus dux, flectendos sibi potius ad deditionem subeundam monēdo quàm diutius vrgendo, duxit. Tētavit, & rem confecit. Conuenit inter Batauos vt colloquio dies diceretur: Ad quod quum esset ventum, habuit hanc pro se orationem Ciuilis, cuius tamen bona pars iniuria temporum intercidit. Hic purgandi sui causa aliqua saltem ex parte, repetit altius causas belli à se primū suscepti, vt omnes turpis proditiōis auertat à se suspiciones.

SI apud Vitellii legatum defenderer, neque factō meo venia neque dictis fides debatur. Cuncta inter nos inimica, hostilia ab illo cœpta, à me aucta erāt. Erga Vespasianum vetus mihi obseruantia, & quum priuatus esset, amici vocabamur! Hoc primo Antonio notum, cuius epistolis ad bellum accitus sum ne Germanicæ legiones & Gallica iuuentus Alpes transcenderēt. Quæ Antonius absens, Flaccus præsens mouebat, arma in Germania moui, quæ Mutianus in Syria, Aponius in Mœsia, Fabianus in Pannonia.

Ex vita Agricolaë à Corn. Tacito prodita.

GALGACI ORATIO,

ARGUMENTVM.

Intulit bellum Britānis Iulius Agricola, nomine Romani imperatoris. Illi laceffiti ad reffinguendum belli incendium magnis animis concurrerunt, ducemque habuerunt nomine Galgacum. Is contractis copiis, cum hoste confligendum cēfuit: sed prius animos multitudinis oratione eſſe firmandos. Itaque conuocatam ſuorum concionem hortatus eſt vt ſtrenuè bellum compeſcerēt. Eius tota oratio in ea poſita eſt vt eos & poſſe & debere hoſtem propulſare oſtendat: deſenſionem & facilem eſſe & neceſſariam. Idcirco belli æquitatem & neceſſitatem docet. Inuehitur in hoſtium auiditatem. Sua niſi flagitioſè deſeri ab iſtis non poſſe probat. A ſeruitute voluntaria ſubeunda deterret, idque à dominorum ſuperbia & innata genti illi libertate. Comparatione & exemplis multo infirmiorum quorundam, probat libertatem eos poſſe à ſeruitute & iugo hoſtium defendere. Romanorum vires extenuat & contemnit. Auita fortitudine propoſita, eos dimittit.

Quoties cauſas belli & neceſſitatem noſtrā intueor, magnus mihi animus eſt, hodiernum diem, cōſenſumque veſtrum, initiū libertatis totius Britanniaë fore. Nā & vniuerſi ſeruitutis expertes, & nullæ vltrà terræ, ac ne mare quidem ſecurū, imminente nobis claſſe Romana. Ita prælium atque arma quæ fortibus honeſta, eadem etiā ignauis tutiſſima ſunt. Priores pugnaë quibus aduerſus Romanos varia fortuna certatum eſt, ſpem ac ſubſidium in noſtris manibus habebat: quia nobiliſſimi totius Britanniaë, eoque in iſtis penentralibus ſiti, nec ſeruientium littora aſpicientes, oculos quoque à contactu dominationis inuiolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos, reſeſſus ipſe ac ſinus famaë in hunc diem defendit. Nunc terminus Britanniaë patet, atque omne ignotum pro magnifico eſt. Sed nulla iam vltrà gens, nihil niſi fluctus & ſaxa. Et inferiores Romani, quorū ſuperbiam fruſtra per obſequium & modeſtiam effugeris, raptores orbis, poſtquam cuncta vaſtātibus deſuere terræ, & mare ſcrutātur. Si locuples hoſtis eſt, auari, ſi pauper, ambitioſi, quos non oriens nō occidens ſatiauerit. Soli omniū opes atque inopiam pari affectu cōcupiſcunt, auferre, trucidare, rapere falſis nominibus imperium, atque vbi ſolitudinem faciunt, pacem appellant. Liberos cuique ac propinquos ſuos natura chariſſimos eſſe voluit: hi per delectus alibi ſeruituri auferuntur. Coniuges ſororesque etſi hoſtilē libidinem effugiāt, nomine amicorū atq; hoſpitū polluitur. Bona fortunāsque in tributum egerunt, in annonam frumentum: corpora ipſa ac manus, ſiluis ac paludibus emuniendis verbera inter ac cōtumelias conterunt. Nata ſeruituti mancipia ſemel veneunt, atque vltrò à dominis aluntur. Britannia ſeruitutē ſuam quotidie emit, quotidie paſcit. Ac ſicut in familia recentiſſimus quiſque ſeruorū & cōſeruis ludibrio eſt, ſic in hoc orbis terrarum veteri famulatu, noui nos & viles in excidium petimur. Neque enim arua nobis, aut metalla, aut portus ſunt, quibus exercendis reſeruemur. Virtus porro ac ferocia ſubiectorum ingrata imperātibus. Et longinquitas ac ſecretum ipſum, quo tutius, eo ſuſpectius. Ita ſublata ſpe veniæ, tādē ſumite animū, tā quibus ſalus quàm quibus gloria chariſſima eſt. Brigantes, ſœmina duce, exurere coloniā, expugnare caſtra, ac niſi felicitas in ſocordiam vertiſſet, exuere iugum potuere: nos integri & indomiti, & libertatē non in præſentia laturo, primo ſtatim congreſſu vnde oſtēdamus quos ſibi Caledonia viros ſepoſuerit. An eandē Romanis in bello virtutem quam in pace laſciuiam adēſſe creditis? Noſtris illi diſceſſionibus ac diſcordiis clari, vitia hoſtiū in gloriam exercitus ſui vertunt: quem contractum ex diuerſiſſimis gentibus vt ſecūda res tenent, ita aduerſæ diſſoluent: niſi ſi Gallos & Germanos, & (pudet dictū) Britannorū pleroſque dominationi alienæ ſanguinē cōmodantes, diutius tamē hoſtes quàm ſeruos, fide & affectu teneri putatis. Metus & terror eſt, infirma vincula charitatis. Quæ vbi remoueris qui timere deſierint, odiſſe incipient. Omnia victoriæ incitamenta pro nobis ſunt. Nullæ Romanos coniuges accendunt, nulli parentes fugam exprobraturi ſunt: aut nulla plerique patria, aut alia eſt. Paucos numero circum trepidos ignorantia, cælum ipſum ac mare & ſiluas ignota omnia circumſpectantes, clauſos quodammodo ac victos alii nobis tradiderunt. Ne terreat vanus aſpectus, & auri fulgor atque argenti, quod neque tegit neque vulnerat. In ipſa hoſtium acie inueniemus

nostras manus. Agnoscent Britanni suam causam: recordabuntur Galli priorem libertatem: deserent illos cæteri Germani, tanquam nuper Vspii reliquerunt. Nec quicquam ultra formidinis, vacua castella, senum coloniæ, inter malè parentes & iniuste imperantes ægra municipia & discordantia. Hic dux, hic exercitus: ibi tributa & metalla & ceteræ seruentiũ poenæ, quas in æternum proferre, aut statim vlciſci, in hoc campo est. Proinde ituri in aciem, & maioreis vestros & posteros cogitate.

AGRICOLAE ORATIO, Ibidem.

ARGUMENTVM.

Vt suos cohortatione ad pugnam incenderat Galgacus, sic Iulius Agricola, dux Romanorum copiarum, metum & cunctationem omnem eripere suis cohortando conatur. De belli æquitate hoc tantum dicit, fuisse aliquot antè annis commotum & gestum ab iisdem illis militibus: nunc idem redintegratum geri. Iubet igitur eos parè animorum præsentiam concipere quam superioribus præliis aduersus eosdem hostes attulerint. Admonet pristinae gloriæ, quæ sit illustranda virtute, non obruenda ignauia. Reliqua est oratio in despiciendis hostibus, quorum infirmas vires ostendit: vnde exacuendorum animorum facultatem sumit.

Octauus annus est, commilitones, ex quo virtute & auspiciis imperii Romani, fide atque opera vestra Britanniam vicistis, tot expeditionibus, tot præliis seu fortitudine aduersus hostes, seu patientia ac labore penè aduersus ipsam rerum naturam opus fuit: neque me militum, neque vos ducis poenituit. Ergo egressi, ego veterum legatorum, vos priorum exercituum terminos, finem Britanniae non fama nec rumore, sed castris & armis tenemus. Inuenta Britannia & subacta. Equidem in agmine quum vos paludes montesque, & flumina fatigarèt, fortissimi cuiusque vocem audiebam, Quædo dabitur hostis? Quædo acies? Veniant è latebris suis extrusi. Et vota virtusque in aperto, omniaque prona victoribus, atque eadem victis aduersa. Nam ut superassè tantum iuneris, siluas euasisse, transisse æstuaria, pulchrum ac decorum in frontem, ita fugientibus periculosissima quæ hodie prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum eadè notitia aut comiteatuum eadem abundantia: sed manus & arma, & in his omnia. Quod ad me attinet, iam pridem mihi decretum est, neque exercitus, neque ducis terga tuta esse. Proinde & honesta mors turpi vita potior, & incolumitas ac decus eodè loco sita sunt. Nec inglorium fuerit, in ipso terrarum ac naturæ sine cecidisse. Si nouæ gentes atque ignota acies constitisset, aliorum exercituum exemplis vos hortarer: nunc vestra decora recensete, vestros oculos interrogate. Il sunt quos proximo anno vnam legionem furto noctis aggressos, clamore debellastis: ii cæterorum Britannorum fugacissimi, ideoque tãdiu superstites. Quomodo siluas saltusque penetrantibus fortissimum quodque animal robore, pauida & inertia ipso agminis sono pelluntur: sic acerrimi Britannorum iam pridem ceciderunt, reliquus est numerus ignauorum & metuentium. Quos quod tandem inuenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt nouissimi, & extremo metu corpora defixere in his vestigiis, in quibus pulchram & spectabilem victoriam ederetis. Transigite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnam diem. Approbante reipub. nunquam exercitui imputari potuisse aut moras belli aut causas rebellandi.

Eas quæ sequuntur orationes inter superiores prætermittas, addendas hinc censuimus.

CLEMENTIS CENTVRIONIS ORATIO,

Ex libro primo.

ARGUMENTVM.

Improuiso lunæ defectu, seruentis antea & seditione astantis exercitus animi sunt terri. Qua occasione Drusus sibi utendum ad restringendam seditionem ratus, summisit aliquot sanioris mentis milites, in his Clementem centurionem ad commonendos, in lectis de industria sermonibus, milites. Hic passim quum in coctus aliquos incidisset, cociuculam hanc habebat, qua in furorem tumultuantium militum inuehebatur.

Quousque filium imperatoris obsidebimus? quis certaminum finis? Percennione & Vibuleno sacramentum dicturi sumus: Percennius & Vibulenus stipendia militibus, agros emeritis largietur? Denique pro Neronibus & Drusis imperium po-

puli Rom. capeffent: quin potius vt nouiffimi in culpam, ita primi ad poenitentiam fumus. Tarda funt quæ in commune expoftulantur, priuatam gratiam ftatim mereare, ftatim recipias.

PISONIS ORATIO, Ex lib. xvii.

ARGUMENTVM.

Quum in dies inualefceret Othonis factio, qui Galbæ aduerfabatur, & occupare imperium cogitabar: Galbæ verò fe gratia & potentia infringeret, vt iam apertè ab eo populus Romanus deficeret, & eius aduerfario imperium traderet, & vt imperatorem crearet, in castra eum raperet, omniâque in ciuitate tumultuofa gererentur, Pifo, quem in fperu imperii Galba adoptauerat, ftationariam cohortem quæ in palatio erat præfidii caufa collocata, fibi conciliandam & cõfirmandam putauit, & de confilii fentētia hac oratione eam eft affatus. Hic militem demulcere & retinere conatur: idcirco imperatoris & fuam dignitatem affert in medium. Cui opponit fordes & intemperantiam Othonis. Agi ipforum quoque militum falutem, & plurimum eorum intereffe quo principe vtantur: nec florere eos poffe in tanta importunitate aduerfariorum.

Sextus dies agitur commilitones, ex quo ignarus futuri, & fiue optandum hoc nomen fiue timendum erat, Cæfar afcitus fum, quo domus noftræ aut reipub. fatum veftra manu pofitum eft: non quia meo nomine triftiorem cafum pauream, vt qui aduerfas expertus, tum maximè dicam ne fecundas quidem minus discriminis habere. Patris & fenatus & ipfius imperii vicem doleo, fi nobis aut perire hodie neceffe eft, aut, quod æquè apud bonos miferū eft, occidere. Solatiū proximi motus habebamus, incruentā urbem & res fine difcordia trãflatas. Prouifum adoptione videbatur vt ne poft Galbam quidem bello locus effet. Nihil arrogabo mihi nobilitatis aut modeltiæ. Neq; enim relatu virtutum in comparatione Othonis opus eft. Vitia, quibus folis gloriatur, euertēre imperiū, etiā quū amicū imperatoris ageret. Habitūne & inceffu, an ille muliebri ornatu meretur imperium? Falluntur quibus luxuria fpeciem liberalitatis imponit. Perdere ifte fciet, donare nefciet. Stupra nunc & comeffationes & fœminarum coetus voluit animo. Hæc principatus præmia putat, quorum libido ac voluptas penes ipfum fit, rubor ac dedecus penes omnes. Nemo enim vnquam imperium flagitio quæfitum bonis artibus exercuit. Galbam confenfus generis humani, me Galba confentientibus vobis, Cæfarem dixit. Si resp. & fenatus & populus vana nomina funt, veftra commilitones intereffe ne imperatorem peffimi faciant. Legionum feditio aduerfum duces fuos audita eft aliquando: veftra fides famâque illæfa ad hunc diem manfit. Et Nero quoque vos deftituit, non vos Neronem. Minus xxx transfugæ & defertores, quos centurionem aut tribunum fibi eligentes nemo ferret, imperium affignabunt: Admittitis exemplum, & quiefcendo commune crimen facitis: Transcendet hæc licentia in prouincias, & ad nos fcelerum exitus, bellorum ad vos pertinebūt. Nec eft plus quod pro cæde principis quàm quod innocētibus datur. Sed proinde à nobis donatiuo plus ob fidē quàm ab aliis pro facinore accipietis.

Orationes ex Q. Curtio collectæ.

CHARIDEMI ORATIO,

Ex lib. III.

ARGUMENTVM.

Charidemus Atheniensis, exulans apud Darium Persarum regem, contracto ab eo numerofo exercitu aduersus Alexandrum Macedonum regem, sententiam de apparatu vniuerso rogatus, liberius quàm felicius responder, sibi exercitum illum, etfi numero superiorem, tamen virtute longè inferiorem videri.

Verùm, *inquit*, & tu forsan audire nolis, & ego, nisi nunc dixero, aliàs nequicquam confitebor. Hic tanti apparatus exercitus, hæc tot gentium & totius orientis excita sedibus suis moles, finitimis potest esse terribilis. Nitet purpura, auróque fulget, armis & opulencia, quantam qui oculis non subiecerint, animis cõcipere non possent. Sed Macedonum acies torua sanè & inculta, clypeis hastisque immobiles cuneos, & cõserta robora virorum teget. Ipsi phalangem vocant peditum stabile agmen. Vir viro, armis arma conferta sunt, ad nutum monentis intenti, siqui signa, ordines seruare didicer. Quod imperatur omnes exaudiunt: obsistere, circuire, discurrere, in cornu mutare pugnam, non duces magis quàm milites callent. & ne auri argentique studio teneri putes, adhuc illa disciplina paupertate magistra stetit. Fatigatis humus cubile est: cibus, què occupati parant, fatiat: tempora somni arctiora quàm noctis sunt. Iam Theffali equites, & Acarnanes Aetoliq; inuicta bello manus, fundis (credo) & hastis igne duratis repellètur. Pari robore opus est. In illa terra quæ hos genuit, auxilia quærenda sunt. Argètum istud atque aurum ad conducendum militem mitte.

LEGATORVM DARIÏ ORATIO

ad Alexandrum, Ex lib. IIII.

ARGUMENTVM.

Darius & armis iam duobus præliis ab Alexandro victus & admiratione virtutis cõmotus, nuntiata illi⁹ humanitate & lenitate erga captiuas mulieres, in primis verò erga vxorem, cui ille mortuæ non secus ac cõiugi illacrymarat, legatos ad eum de pace mittit, qui æquis conditionibus, si ad eas adduci possit, cum eo transigant. Ii ad eum quum venissent, ad exponendam legationem hac oratione sunt vsi, qua eum & blandè prolixèque pollicendo, & grauiter commonefaciendo ad pacem flectere sunt conati.

Darium (*inquit*) vt pacem à te iam hoc tertio peteret, nulla vis subegit, sed iustitia & continentia tua expressit. Matrem, coniugem, liberóque eius, nisi quòd sine illo sunt, captos esse non sensit: pudicitia earum quæ supersunt, curam haud secus quàm parens agens, reginas appellas, speciè pristinae fortunæ retinere pateris. Vultum tuum video, qualis Darii fuit quum dimitteremur ab eo: & ille tamen vxorem, tu hostem luges. Iam in acie stares, nisi cura te sepulturae eius moraretur. Eequid mirum est, si tam ab amico animo pacem petit? Quid opus est armis inter quos odia sublata sunt? Antea imperio tuo finem destinabat Halyn amnem qui Lydiã terminat: nunc quicquid inter Hellepontum & Euphratem est, in dotem filiae offert, quam tibi tradit. Ochum filium quem habes, pacis & fidei obsidem retine. Matrè & duas virgines filias redde. Pro tribus corporibus 1 millia talètùm auri precatur accipias. Nisi moderationem animi tui notam haberem, non dicerem hoc esse tempus quo pacem non dare solùm, sed etiam occupare deberes. Respice quantum post te reliqueris, intuere quorum petas. Periculosum est prægraue imperium: difficile est continere quod capere non possis. Vidène vt nauigia quæ modum excedunt, regi nequeat? Nescio an Darius ideo tam multa amiserit, quia nimia opes magnæ iacturæ locum faciunt. Facilius est, quædam vincere quàm tueri. Quàm hercule expeditius manus nostræ rapiunt, quàm continent? Ipsa mors vxoris Darii te admonere potest, minus iam misericordia tua licere quàm licuit.

PARMENIONIS ORATIO AD ALEXANDRUM, Ex eodem lib.

ARGVMENTVM.

Parmenio magna apud regem gratia constitutus, adhibitus ad regis deliberationē, de legatorum Darii postulatione sententiā dicit, quā Alexandro autor est vt ad eas pacis conditiones quas ferebat Darius descendat: pacem bello anteponat: & malit certa præmia à Dario accipere quàm bello maiora, at minus certa, quærere.

ANtè suavissem (ait) vt captiuos apud Damascum redimentibus redderes. ingentem pecuniam potuisse redigi ex iis qui multi uincti uirorum fortium occupauerant manus. Et nunc magnopere censerem vt vnā anīm & duas puellas, itinerū agminūque impedimenta, triginta millibus talētis auri permutēs. Opimum regnum occupari posse conditione, non bello. nec quenquam alium inter Istrum & Euphratem possedisse terras ingenti spatio interualloque discretas. Macedoniam quoque respiceret potius quàm Bactra & Indos intueretur.

ALEXANDRI ORATIO AD LEGATOS

Darii, Ex eod. lib.

ARGVMENTVM.

Refutato Parmenione respondet legatis Darii Alexander, qui pacis præmia, si pace uti uellet, obtulerant. Ea Alexander omnia & pacis conditiones repudiat duabus de causis: quòd Darii infidiis appetitus sit, & quòd sua iam & à se occupata, sibi offerantur. Se ita ab armis discessurum dicit, si ille se suaque omnia victoris arbitrio dedat.

NVntiate Dario gratiarum actionem apud hostem superuacaneam esse, & me quæ fecerim clementer & liberaliter, non amicitia eius tribuisse, sed natura meæ: nec aduersus calamitates, sed aduersus hostium vires contendere. Bellum cum captiuis & foeminis gerere non soleo: armatus sit oportet quem oderim. Quòd si saltē pacē bona fide peteret, deliberarem forsitan an darem. Verumenimvero quum modò milites meos literis ad prodicionem, modò amicos ad perniciem meam pecunia solliciter, ad internitionem mihi persequendus est, nō vt iustus hostis, sed vt percussor ueneficus. Cōditiones verò pacis quas fertis, si accepero, victorem eum faciunt. Quæ post Euphratem sunt, liberaliter donat. Vbi igitur me affamini? nēpe oblitū estis. nam ultra Euphratem sum. Summum ergo dotis quam promittit terminum castra mea transeunt. Hinc me depellite, vt sciam vestrū esse quod ceditis. Eadem liberalitate dat mihi filiam suam, nempe quam scio alicui seruorum suorum nupturam. Multum verò mihi præstat si me Mazæo generum præponit. Ite, nuntiate regi vestro, & quæ amisit & quæ adhuc habet, præmia esse belli. hoc regente vtriusque terminos regni, id quēque habiturum quod proximæ lucis assignatura fortuna est: & me in Asiam non venisse vt ab aliis acciperem, sed vt aliis darem. Si secundus, & non par mihi uellet haberi, facerem forsitan quæ petit. Cæterum nec mundus duobus solibus potest regi, nec duo summa regna saluo statu terrarum potest habere. Proinde aut deditionem hodie, aut in crastinum, bellum paret: nec aliam sibi quàm expertus est, polliceatur fortunam.

DARII ORATIO AD MILITES,

Ex libro III I.

ARGVMENTVM.

Dimicaturus acie iā tertium aduersus Macedonas Darius, suos ad prælium præsentī animo capeffendum hortatur, propositis iis quæ in deliberando grauissima sunt, salutis coniugum, liberorum, libertatis defensione: de quibus omnibus aut amittendis, aut recuperandis hoc prælio decernant. Clades acceptas commemorat, quòd illis res tederit offendit. Et ne superiorum cladum recordatio debilitet animos, extenuat ac despicit virtutē, res gestas, vires Alexandri. Denique mixtis cohortatione precibus eos animat.

Terrarum (inquit) quas Oceanus hinc alluit, illinc claudit Hellepontus, paulo antè domini, iam nō de gloria, sed de salute, & (quod saluti præponitis) de libertate pugnandum est. Hic dies imperium quo nullum amplius vidit ætas, aut constituet aut finiet. Apud Granicum minima virium parte cū hoste certauimus: In Sicilia victos

Syria poterat excipere. Magna munimenta regni Tigris atque Euphrates erant. Vētum est eò vnde pulsus ne fugæ quidem locus est. Omnia tā diutino bello exhausta post tergum sunt. Non incolas suos vrbes, non cultores habent terræ. Coniuges quoque, & liberi sequuntur hanc aciem, parata hostibus præda, nisi pro charissimis pignoribus corpora opponimus. Quod mearum fuit partium, exercitum, quem penè immensa planities vix caperet, comparavi: equos, arma distribui: cōmeatus ne tantæ multitudini deessent, prouidi: locum, in quo acies explicari possent, elegi. Cætera in vestra potestate sunt: aude modò vincere, famamque (infirmissimum aduersus fortes viros telum) contemnite. Temeritas est quam adhuc pro virtute timuistis: quæ vbi primum impetum effudit, velut quædam animalia amisso aculeo, torpet. Hi verò campi deprehendere paucitatem quam Ciliciæ montes absconderant. Videtis ordines raros, cornua extenta, mediam aciem vanam & exhaustam. Nam vltimi quos locauit auersos, terga iam præbent. Obterri, me hercule, equorum vngulis possunt, etiam si nihil præter falcatos currus emisero, & bello vicerimus si vincimus prælio. Nam ne illis quidem ad fugam locus est. Hinc Euphrates, illinc Tigris prohibet inclusos: & quæ antea pro illis erant, in contrarium conuersa sunt. Nostrum mobile & expeditum agmen est, illud præda graue. Implicatos ergo spoliis nostris trucidabimus: eademque res & causa victoriæ erit & fructus. Quòd si quem è vobis nomen gentis mouet, cogitet Macedonum illic arma esse, non corpora. Multum enim sanguinis inuicem hausimus, & semper grauior in paucitate iactura est. Nam Alexander, quantuscunque ignavis & timidus videri potest, vnum animal est: & si quid mihi creditis, temerariū & vecors, adhuc nostro pauore, quam sua virtute felicius. Nihil autem potest esse diuturnum cui nō subest ratio. Licet felicitas aspirare videatur, tamen ad vltimum temeritati non sufficit. Præterea breues & mutabiles vices rerum sunt, & fortuna nunquam simpliciter indulget. Forsitan ita dii fata ordinauerūt, vt Persarum imperium, quod secundo cursu per c c x x annos ad summum fastigium euexerant, magno motu concuterent magis quam affligerent, admonerentque nos fragilitatis humanæ, cuius nimia in prosperis rebus obliuio est. Modò Græcis vltro bellū inferebamus, nunc in sedibus nostris propulsamus illatum. Iactamur inuicem varietate fortunæ. Videlicet imperium, quod mutuo affectamus, vna gens non capit. Cæterum etiam si spes non subesset, necessitas tamen stimulare deberet. Ad extrema peruētum est. Matrem meam, duas filias, Ochum in spem huius imperii genitū, illos principes, illā sobolē regiæ stirpis, duces vestros, regū instar vincōs habet: nisi quod in vobis est, ipse ego maiore parte captiuus sum. Eripite viscera mea ex vinculis, restituite mihi pignora, pro quibus ipse mori non recuso. Parentem, liberos (nam coniugem in illo carcere amisi) credite nunc omnes extendere ad vos manus, implorare patrios deos, opem vestram, misericordiam, fidem exposcere, vt seruitute, vt compedibus, vt precario victu ipsos liberetis. An creditis æquo animo iis seruire quorū reges esse fastidiunt? Video admoueri hostium aciem: sed quo propius discrimen accedo, hoc minus iis quæ dixi, possum esse cōtentus. Precor vos per deos patrios æternūque ignem qui præfertur altaribus, fulgoremque solis intra fines regni mei orientis, per æternam memoriam Cyri, qui ademptum Medis Lydisque imperium primus in Persidem intulit, vindicate ab vltimo dedecore nomen gentemque Persarum. Ite alacres & spe pleni, vt quam gloriam accepistis à maioribus vestris, posteris relinquatis. In dextris vestris iam libertatem, opem, spem futuri temporis geritis. Effugit mortem, quisquis contempserit: timidissimum quenque consequitur. Ipse non patrio more solum, sed etiam vt conspici possim, curru vehor: nec recuso quo minus imitemini me, siue fortitudinis exemplum, siue ignauitæ fucro.

EVCTEMONIS CYNÆI ORATIO,

Ex libro v.

ARGVMENTVM.

Græci captiui ad quater mille, quum crudelissimè essent à Persis accepti, & fœda corporum laceratione detur pati, se in Alexandri fidem, qui tum eas partes vincendo peragrabat, contulerunt, dubii tamen quid potissimum ab eo contenderent. Qua de re quæ anceps esset consilium, aut in iis locis confidendi, aut patriæ repetendæ, dictæ sunt in vtranque partem sententiæ. Euctemoni huic placet in iis regionibus habitandi domiciliū

ab Alexandro postulare, tum quia imbecillitas corporum iactationem viæ ferre nõ possent, tum quia ita deformati ne honestè quidem in suorum conspectũ prodire possent.

HI qui modò ad opem petendam ex tenebris & carcere procedere erubuimus, vt nunc simplicitas nostra est, supplicia quorum nos pudeat magis an poeniteat, incertum est, ostentare Græciæ velut lætæ spectaculum cupimus. At ii optimè miserias ferunt, qui abscondunt: nec vlla est tam familiaris infelicibus patria quàm solitudo, & status prioris obliuio. Nam qui multum in suorũ misericordia ponunt, ignorant quàm celeriter lacrymæ inarescant. Nemo fideliter diligit quem fastidit: nam & calamitas querula est, & superba felicitas. Ita suam quisque fortunam in consilio habet, quum de aliena deliberat: & nisi mutuo essemus miseri, olim alius alii potuissemus esse fastidio. Quid mirum est fortunatos semper parem quærere? Obsecro vos, olim vita defuncti, quæramus locum in quo hæc semesa membra obruamus: vbi horribiles cicatrices cælet exilium. Ingrati prorsus coniugibus quas iuuenes duximus, reuertemur. Liberi in flore & ætatis & rerum agnoscent, & fratres, ergastuli detrimenta? Et quota pars nostri tot obire terras potest? Procul Europa in vltima orientis relegati, senes, debiles, maiore membrorum parte mutilati, tolerabimus scilicet quæ armatos & victores fatigauerunt? Coniuges demum, quas captis fors & necessitas vnicum solatium applicuit, paruósque liberos, trahimus nobiscum, an reliquimus? Cum his venientes nemo agnoscere volet. Relinquemus ergo extemplo præsentium pignora, quum incertum sit an visuri sumus ea quæ petimus? Inter hos latendum est qui nos miseros nosse cœperunt.

THEATI ATHENIENSIS ORATIO, Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Vltro citroque, vt diximus, res est inter Græcos agitata, manerent an patriam reuiderent. Contrariæ sententiæ illi superiori autor est Theatus Atheniensis. Professionem enim suadet posthabita deformitatis illius verecundia, itinervis verò laboribus præ desiderio patriæ neglectis, & locorum in quibus essent, feritate proposita. Quauis autem hæc oratio obliqua sit, quia tamen est ἀπλοχὴ respondens videlicet superiori, non visa est prætereunda.

Neminem pium habitu corporis suos aestimaturum, utique seuitia hostis, non natura, calamitosos. Dignum esse omni malo qui erubesceret fortunæ: tristem enim de mortalitate ferre sententiam, & desperare misericordiam, quia ipse alteri denegaturus sit. Deos (quod ipsi nunquam ausi optare forent) offerre patriam, cõuges, liberos, & quicquid homines vel uita aestimant, vel morte redimunt: quin illi ex hoc carcere eriperent. Aliũ domi esse cæli haustũ, alium lucis aspectum. mores, sacra, linguæ commercium etiam à barbaris expeti, quæ ingentia ipsi omisuri sint sua sponte, non ob aliud tam calamitosi quàm quod illis carere coacti essent. se certè rediturum ad penates & in patriam, tantoque beneficio regis usurum. si quos contubernii liberorũque quos seruitus coegisset agnoscere, amor detineret, relinquerent, quibus nil patria charius est.

DARII ORATIO, Ex eod. lib.

ARGVMENTVM.

Darius, quũ iam ter aduerso Marte pugnasset, exiguas haberet tatarum cladum reliquias, sed ne satis quidem eas explorata fidei, tæderetque eum diuturnæ fugæ, quod in summa rerum desperatione fieri assolet, statuit postremo prælio de rerum summa decernere. Verũ quia id non antè poterat quàm suorum animos partim tentasset, partim confirmasset, hac oratione est usus, qua labantes aliorum animos retinere & conciliare, aliorum ægros consolari, omnium infirmos corroborare conatur. Suadet igitur vt tot calamitates vno vel secundo vel aduerso prælio finiant. Sibi quidem certum esse ostendit hoc vno certamine aut emori aut clades acceptas sarcire.

Sime cum ignauis (inquit) & pluris qualemcunque vitam morte honesta aestimantibus fortuna iunxisset, tacerem potius quàm frustra verba consumerem: sed maiore quàm vellem documento & virtutem vestram & fidem expertus, magis etiam conuicti debeo vt dignus talibus amicis sim, quàm dubitare an vestri similes adhuc sitis. Ex tot millibus quæ sub imperio fuerunt meo, bis victum, bis fugientem persequuti

estis. Fides vestra & constantia, vt regem me esse credam, facit. Proditores & trāffugæ in vrbibus meis regnant, non hercule qui tanto honore digni habeantur, sed vt præmiis eorum vestri sollicitentur animi. Meam tamen fortunam quàm victoris maluistis sequi: dignissimi quibus si ego non possim, dii pro me gratiam referant, & mehercule referent. Nulla erit tam surda posteritas, nulla tam ingrata fama, quæ nõ in cælū vos debitis laudibus ferat. Itaque etiam si consilium fugæ, à qua multum abhorret animus, agitaſsem, vestra tamen virtute fretus obuiam issem hosti. Quousq; enim in regno exulabo, & per fines imperii mei fugiam externum & aduenam regem, quum liceat experto belli fortuna aut reparare quæ amisi, aut honesta morte defungi: Nisi fortè satius est expectare victoris arbitrium, & Mazæi & Mithrenis exemplo precarium accipere regnum nationis vnus, vt iam malit ille gloriæ suæ quàm iræ obsequi. Nec dii fuerint vt hoc decus mei capitis, aut demere mihi quisquā, aut condonare possit, ne hoc imperium viuus amittā. Idemque erit regni mei qui & spiritus finis. Si hic animus, si hæc lex, nulli non parta libertas est: nemo è vobis fastidium Macedonum, nemo vultum superbū ferre cogetur. Sua cuique dextera aut vltionem tot malorum pariet, aut finem. Equidem quàm versabilis fortuna sit, documentum ipse sum. Nec immeritò mitiores vices eius expecto. Sed si iusta ac pia bella dii auerſantur, fortibus tamen viris licebit honestè mori. Per ego vos decora maiorum qui totius orientis regna cum memorabili laude tenuerunt, per illos viros quibus stipendium Macedonia quondam tulit, per tot nauium classes in Græciā missas, per tot trophæa regum, oro & obtestor, vt nobilitate vestra gētisque dignos spiritus capiat, vt eadem constantia animorum qua præterita tolerastis, experiamini quicquid deinde fors tulerit. Me certè in perpetuum, aut victoria egregia nobilitabit, aut pugna.

NABARZANIS ORATIO, Ex eod.lib.

ARGUMENTVM.

Darii orationi qua se in aciem descēdere velle dixit, ab vno Nabarzane, qui inter purpuratos erat, reclamatum est. Is enim, vt qui primū regem in vinculis habere, deinde imperii reliquias inuadere cum partice eiusdem sceleris Bessio moliretur, hac autem dimicatione conatus suos auerti videret, regem ab eo conflictu deterrere voluit. Auctor igitur est Dario perfidiosus suator vt tantisper se imperio abdicet, dum alter susceptis gubernaculis feliciter rem gerat, & inclinatam restituat. Cæterum ad Bessum conscium sceleris satrapen, sua sententia summam rerum defert.

Scio me (*inquit*) sententiam esse dicturum prima specie haud quaquam auribus tuis gratam: sed medici quoque grauios morbos asperis remediis curant: & gubernator, vbi naufragium timet, iactura quicquid seruari potest, redimit. Ego tamen non vt damnum quidem facias, suadeo, sed vt te ac regnum tuum salubri ratione conserues. Diis aduersis bellum inimus, & pertinax fortuna Persas vrgere nõ desinit. Nouis initiis & hominibus opus est. Auspiciū & imperium alii trade interim, qui tandiu rex appelletur, donec Asia decedat hostis: victor deinde regnum tibi reddat. Hoc autē breui futurū ratio promittit. Bactra intacta sunt: Indi & Sagæ in tua potestate: tot populi, tot exercitus, tot equitum peditūmque millia ad renouandum bellum vires paratas habent, vt maior belli moles superſit quàm exhausta sit. Quid ruimus belluarum ritu in perniciem non necessariam? Fortium virorum est magis mortem contemnere quàm odisse vitā. Sæpe tædio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignaui: ac virtus nihil inexpertum omittit. Itaque vltimum omnium mors est, ad quam non pigrè ire satis est. Proinde si Bactra, quod tutissimum receptaculum est, perimus, præfectum regionis eius Bessum, regē temporis grātia, statuamus. Compositis rebus, iusto regi tibi fiduciarium restituet imperium.

ALEXANDRI ORATIO, Ex libro vi.

ARGUMENTVM.

Inclinatis iam animis multitudinis ad quietē laboriosæ militiæ oprandam, accesserat sparsus sine autore quidem, sed ex diuturniorum staturum occasione excitatus missionis rumor. Qui etſi temere percrebuerat, tamen tanta fuerat omnium auuiditate acceptus

acceptus, ut iam totis castris à gregariis militibus reditus cōpararetur. Quæ res non mediocriter Alexandrū vix ea ingressum quæ animo & spe præceperat, perculit. Itaq; proceribus per errorem incusatis, illis ipsis autoribus vulgus ab eo errore & cupiditate deducere hac oratione statuit. Quæ leniter obiurgat milites quòd immaturum suarum victoriarum fructum velint percipere. Duas exponit consilii sui causas, cur nòdum incœptis desistat. Neque quæ parva sint retineri posse, nisi subactis hostibus qui supersint: & his domitis, multo vberiores victoriæ fructus ostendi & sese offerre. Hæc nisi pacata teneri non posse: pacata verò secum multo his plura esse allatura. Eos præterea ad perfequendas de percussoribus Darii pœnas impellit.

Magnitudinem rerum quas gessimus, milites, intuētibus vobis, minimè mirum est, & desiderium quietis & satietatem gloriæ occurrere: ut omittā Illyricos, Triballos, Bœotiam, Thraciam, Spartam, Achæos, Peloponesum, quorum alia dū tu meo, alia imperio auspicioq; perdomui. Ecce orsi bellum ad Hellepontum, Ionas, AEolidē seruitio barbariæ impotentis exemimus. Cariam, Lydiam, Cappadociā, Phrygiam, Paphlagoniā, Pamphylia, Pisides, Ciliciam, Syriā, Phœnicē, Armeniam, Persidē, Medos, Parthienem habemus in potestate. Plures prouincias complexus sum quàm alii vrbes ceperunt: & nescio an enumeranti mihi quasdam ipsarum rerū multitudo subduxerit. Itaq; si crederem satis certā esse possessionem terrarū quas tanta velocitate domuimus, ego verò milites ad penates meos, ad parentem sororēsq; & cæteros ciues, vel renitentibus vobis erūperem, ut ibi potissimū parva vobiscum laude & gloria fruerer, vbi nos vberissima victoriæ præmia expectāt, liberorū, coniugū, parētūmq; lætitia, pax, quies, rerū per virtutem partarū secura possessio. Sed in nouo & (si verū fateri volumus) precario imperio, adhuc iugū eius rigida ceruice subeūtibus barbaris, tēpore (militēs) opus est, dum mitioribus ingeniis imbuuntur, & efferatos mollior consuetudo permulcet. Fruges quoque maturitatem statuto tēpore expectant, adeo etiam illa sensus omnis expertia, tamen sua lege mitescunt. Quid creditis tot gentes alterius imperio ac nomine assuetas, non sacris, non moribus, nō cōmercio linguæ nobiscū cohærentes, eodem prælio domitas esse quo victæ sunt? Vestris armis continentur, nō suis moribus: sed qui præfentes metuunt, in absentia hostes erunt. Cum feris bestiis res est, quas captas & inclusas, quia ipsarū natura non potest, longior dies mitigat. Et adhuc sic ago tanquā omnia subacta sint armis quæ fuerūt in ditioe Darii. Hyrcaniam Nabarzanes occupauit: Bactra non possidet solum parricida Bessus, sed etiam minatur. Sogdiani, Dahæ, Massagetae, Sacæ, Indi sui iuris sunt. Omnes hi simul, si terga nostra viderint, sequentur. Illi enim eiusdem nationis sunt, nos alienigenæ & externi. Suis autem quique parent placidius, etiā quū is præest qui magis timeri potest. Proinde aut quæ cepimus, omittenda sunt: aut quæ nō habemus, occupāda. Sicut in corporib; agris, milites, nihil quod nociturum est medici relinquūt, sic nos quicquid obstat imperio, recidamus. Parua sæpe scintilla cōtēpta magnū excitauit incendiū. Nil tutò in hoste despicitur: quæ spreueris, valētiorē negligentia facies. Ne Dari⁹ quidē hæreditariū Persarū accepit imperiū, sed in sedē Cyri beneficio Bagoæ castrati hominis admissus: ne vos magno labore credatis Bessum vacuū regnū occupaturū. Nos verè peccauimus milites, si Dariū ob hoc vicimus ut seruo eius traderemus imperiū, qui vltimū ausus scelus, regē suū etiā externæ opis egentē, certè cui nos victores pepercissemus, quasi captiuū in vinculis habuit, ad vltimū, ne à nobis cōferuari posset, occidit. Hunc vos regnare patiemi: quæ equidē crucifixū videre festino, omnibus regibus gētibusq; fidei quam violauit, meritas pœnas soluentem. At hercule si mox eundem Græcorū vrbes, aut Hellepontū vastare nuntiatū erit vobis, quo dolore afficiemini, Bessum præmia vestræ occupasse victoriæ? Tūc ad repetēdas res festinabitis, tunc arma capietis. Quanto autē præstat territū adhuc, & vix mētis suæ cōpotē opprimere? Quatridui nobis iter superest, qui tot proculcauimus niues, tot amnes superauimus, tot motiū iuga trāscurrimus: non mare illud quod exastuans iter fluctibus occupat, eūtes nos moratur: nō Ciliciæ fauces & angustia includūt: plana omnia & prona sunt, in ipsō limine victoriæ stamus. Pauci nobis fugitiui, & domini sui interfectores supersunt. Egregiū mehercule opus, & inter præmia gloriæ vestræ numerādū, posteritati famæq; tradetis: Darii quoq; hostis, finito post mortē eius odio, parricidas vos vltos: neminē impiū effugisse manus vestras. Hoc perpetrato, quāto creditis Persas obsequentiore fore, quū intellexerint vos pia bella suscipere, & Bessi sceleri, non nomini suo, irasci?

CRATERI ORATIO, Ex eod. lib.

ARGUMENTVM.

Macedones aliquot inierant regis sui de medio tollendi consilium. Sed re per indices patefacta, comprehensi sunt, & oppressa coniuratio. Verum quia erant in ea coniuratione aliquot clari & nobiles, noluit Alexander quicquam in eos nisi ex amicorum sententia statuere. Ad eos igitur convocatos re detulit. Ex quibus Craterus, in paucis regi charus sententiam rogatus, censuit more maiorum in eos esse animaduertendum. Nec quia illustres essent, idcirco dignitati potius eorum quam capiti regis esse parcendum. Magnitudinem periculi proponit, & audaciam partidarum, quae licentiae contagione serpet longius nisi in his cohibeatur.

VTinam (*inquit*) in principio quoque huius rei nobiscum deliberasses. Suasissemus, si Philotae velles ignoscere, paterere potius ignorare eum quantum deberet tibi, quam usque ad mortis metum adductum, cogeres potius de periculo suo quam de tuo cogitare beneficio. Ille enim semper insidiari tibi poterit: tu non semper Philotae poteris ignoscere. Nec est quod existimes, eum qui tantum facinus ausu est, veniam posse mutari. Scit eos qui misericordiam consumpserunt, amplius sperare non posse. At ego etiam si ipse vel poenitentia vel beneficio tuo victus, quiescere volet, patrem eius Parmenionem tantum ducem exercitus, & inueterata apud milites tuos autoritate, haud multum infra magnitudinis tuae fastigium positum, scio non aequo animo salutem filii sui debiturum tibi. Quaedam beneficia odimus. Meruisse mortem, confiteri pudet. Superest ut malit videri iniuriam accepisse quam vitam. Proinde scio tibi cum illis de salute esse pugnandum. Satis hostium superest, ad quos persequendos ituri sumus. Latus a domesticis hostibus muni. Hos si submoueas, nihil metuo ab externo. *Hac Craterus. Nec ceteri dubitabant quin coniurationis indicium suppressurus non fuisset, nisi autor aut particeps. Quem enim pium & bonae metis, non amicum modo, sed ex ultima plebe, auditis quae ad eum delata erant, non protinus ad regem fuisse cursurum? nec Ceballini quidem exemplo qui ex fratre comperta ipsi nuntiasset. Parmenionis filium praefectum equitatus, omnium arcanorum regis arbitrum, simulasse etiam non vacasse sermoni suo regem, ne index alium internuntium quaereret. Nicomachum religione quoque deum adstrictum, conscientiam suam exonerare properasse. Philotam consumpto per ludum iocumque penes toto die, grauatam esse pauca verba ad caput regis pertinentia, tam longo & forsitan superuacuo inferere sermoni. At enim si non credidisset talia deferentibus pueris, cur igitur extraxisset biduum, tamquam indicio haberet fidem? Dimittendum fuisse Ceballinum, si dilationem eius damnabat. In suo quenque periculo magnum animum habere, quum de salute regis timeretur, credulos esse debere, vana quoque deferentis admittere. Omnes igitur quaestionem de eo, ut participes sceleris indicare cogere, habendam esse decernunt.*

PHILOTAE ORATIO, Ex eod. libro.

ARGUMENTVM.

Philotas erat clarissimi Macedonis Parmenionis filius. Is non conuerat quidem cum coniuratis illis, ut vim regi omnes afferret: sed re ad se delata per indicem, ut modo attigimus, silentio praeteriit, pollicitus tamen se ad regem perlaturum, admonentemque illum & uergetem ut ad regem deferret, eludebat & aliud ex alio excusabat. Admonebatur autem hic insidiarum potissimum, quod ex cohorte regia erat, & praeter ceteros clarum, magnamque apud regem gratia. Re igitur per alios patefacta, primum ad causam dicendam est accersitus ad regem solutus, post consultis a rege amicis, in vincula est coniectus & ad concionem productus, grauius etiam quam ceteri est ab eo accusatus: & ex silentio coniurationis reus productus. Admissus tamen est etiam ad causam pro concione dicendam: verum aberat rex quum is pro se diceret. Hac igitur tunc pro se orationem habuit, qua inficiatur intentum a rege crimine: suspiciones diluit: argumenta conatur refellere: multa quae in eum erant inuidiose coniecta reicit. Purgat se crimine appetiti dominatus, quo insimulatus fuerat, & cogitati parricidii in regem. Patrem qui eadem laborabat inuidia, & crimine eodem premebatur, sed absens, etiam defendit. Vicem illius non minus ac sua deflet: quod reus sit atrocissimi criminis & particeps acerbissimi casus filii sui.

Verba (*inquit*) innocenti facile est, modum verborum misero tenere difficile. Itaque inter optimam conscientiam, & iniquissimam fortunam destitutus ignoro quomodo animo meo & tempore paream. Absentem quidem optimum causam meam iudex: qui cur me ipse audire noluerit, non me hercule excogito, quum illi utique cognita causa tam damnare me liceat quam absolvere: non cognita vero, liberari ab absente non possum, qui a praesente damnatus sum. Sed quamquam victi hominis non superuacua solum sed etiam iniuria

defensio est, quæ iudicem non docere videtur, sed arguere: tamē, ut cunque licet me dicere, memetipse non deferam, nec committam ut damnatus etiam mea sententia videar. Equidem cuius criminis reus sum, non video. Inter coniuratos nemo me nominat. De me Nicomachus nihil dixit: Ceballinus plusquam audierat, scire non potuit. Atqui coniurationis caput me fuisse credit rex. Potuit ergo Dymnus cum præterire quem sequebatur: præsertim quum quærenti socios vel falsò fuerim nominandus, quò facilius qui tentabatur posset impelli. nō enim detecto facinore nomen meum præterit, ut posset videri socio pepercisse Nicomachus, quem taciturnum arcana de semetipso credebatur confessus, aliis nominatis me vnum subtrahebat. Quæso, commilitones, si Ceballinus non me adisset, nihil me de coniuratis scire voluisset, num hodie dicerem causam nullo me nominante: Dymnus sanè & viuat adhuc, & velit mihi parcere: quid cæteri qui de se confitebuntur: me videlicet subtrahet: Maligna est calamitas, & verè noxius, quum suo supplicio crucietur, acquiescit alieno. Tot conscii ne in equuleum quidem impositi verum fatentur: Atqui nemo parcat morituro, nec cuiquam moriturus, ut opinor. Ad verum crimen, & ad vnum reuertendum mihi est. Cur rem delatam ad te tacuisti: cur tam securus audisti? Hoc qualecunque est, confessio mihi, vbicunque es, Alexander remisisti: dexteram tuam amplexus, reconciliati pignus animi, conuiuio quoque interfui. Si credidisti mihi, absolutus sum: si pepercisti, dimissus. Vel iudicium tuum serua. Quid hac proxima nocte qua digressus sum à mensa tua feci: Quod nouum facinus delatum ad te mutauit animum tuum. Graui sopore acquiescebam, quum me malis indormientem meis inimici vinciendo excitarunt. Vnde & parricidæ & proditori tam alti quies somni? Scelerati conscientia, obstrepente quum dormire non possint, agitant eos furia, non cogitato modo, sed & consummato parricidio. At mihi securitate primùm innocentia mea, deinde dextera tua obtulerant. Non timui ne plus alienæ crudelitati apud te liceret quàm clementiæ tuæ. Sed ne te mihi credidisse poeniteat, res ad me deferrebat à puero qui non testem, non pignus indicii exhibere poterat, impleturus omnes metu, si cœpisset audiri. Amatoris & scorti iurgio interponi aures meas credidi infelix, & fidem eius suspectam habui, quòd non ipse deferret, sed fratrem potius subornaret. Timui ne negaret mandasse se Ceballino, & ego viderer multis amicorum regis fuisse periculi causa. Sic quoque quum læserim neminem, inueni qui mallet perire me quàm incolumem esse. Quid inimicitarum creditis accepturum fuisse, si insones laceffissem: At enim Dymnus se occidit. Num igitur facturum eum diuinare potui? Minimè Ita quod solum indicio fidem fecit, id me quum à Ceballino interpolatus sum, mouere non poterat. At hercule si conscius Dymno tanti sceleris fuisset, biduo illo proditos esse nos dissimulare non debui. Ceballinus ipse tolli de medio nullo negotio potuit: deinde post delatum indicium quid operiturus eras: Cubiculum regis solus intraui ferro quidem cinctus. Cur distuli facinus? an sine Dymno nō sum ausus? Ille igitur princeps coniurationis fuit. Sub illius umbra Philotas latebat, qui regnum Macedonum affecto. Ecquis è vobis corruptus est donis: quem ducem quem præfectum impetrus colui? Mihi quidem obiicitur quòd societate patrii sermonis asperner, quòd Macedonum mores fastidiam. Sic ego imperio quod dedignor imminco. Iapidè natuus ille sermo commercio aliarum gentium exoleuit: tam victoribus quàm victis peregrina lingua discenda est. Nō mehercule ista me magis lædunt quàm quòd Amyntas Perdicae filius insidiat est regi: cum quo quòd amicitia fuerit mihi, nō recuso defendere, si fratrem regis nō oportuit diligere à nobis. Sin autem in illo fortunæ gradu positum etiā venerari necesse erat, utrum quæso, quòd nō diuinari, reus sum? An impiorum amicis insonibus quoque moriendum est: Quod si æquum est, cur tãdiu viuo: si iniustum, cur nunc demum occidor? At enim scripti misereri me eorum quibus viuendum esset sub eo qui se louis filium crederet. Fides amicitia, veri consilii periculosa libertas, me decepistis: vos, quæ sentiebam, ne reticerem impulistis. Scriptissem me hoc fateor regi, nō de rege: nō enim faciebam inuidiam, sed pro eo timebam. Dignior mihi Alexander videbatur qui louis stirpem tacitus agnosceret quàm qui prædicatione iactaret. Sed quoniã oraculi fides certa est, sit deus causæ meæ testis. Retinete me in vinculis, dum consulitur Ammonius in arcanum & occultum scelus. Interim qui regem nostrum dignatus est filium, neminem eorum qui stirpi suæ insidiati sunt, latere patietur. Si certiora oraculis creditis esse tormeta, ne hanc quidem exhibendam veritatis fidem deprecor. Solent rei capitis adhibere vobis parces. Duos fratres ego nuper amisi, patrem nec ostendere possum: nec inuocare audeo, quum & ipse tanti criminis reus sit. Parum est enim tot

modò liberorum parentem, in vnico filio acquiescentem, eo quoque orbari, ni ipse inrogum meum imponitur. Ergo charissime pater, & propter me morieris & mecū. Ego tibi vitam adimo, ego senectutem tuam extinguo. Quid enim me procreabas infelicem aduersantibus diis? An vt hos ex me fructus perciperes qui te manent? Nescio adolescentia mea miserior sit, an senectus tua. Ego in ipso robore ætatis eripior, tibi carnifex spiritum adimet, quem si fortuna expectare voluisset, natura poscebat. Admonuit me patris mei mētio quàm timidè & cunctāter, quæ Ceballinus detulerat ad me, indicare debuerim. Parmenio enim quum audisset venenum à Philippo medico regi parari, deterere eum voluit epistola scripta, quominus medicamentum biberet quòd medicus dare constituerat. Num creditum est patri meo: num vllam autoritatem eius literæ habuerunt? Ego ipse quoties quæ audieram detuli, cum ludibrio credulitatis repulsus sum. Sic & quū indicam⁹ inuisi, & quū tacemus, suspecti sumus. Quid facere nos oportet? *Quinque unus è circumstātium turba exclamasset, Benemeritis non insidiari: Philotas, Rectè (inquit) quisquis es, dicis. Itaque si in sidiatus sum, pœnam non deprecor: & finem facio dicendi, quoniam vltima verba grauiā sunt visā auribus vestris.*

AMYNTAE ORATIO, Ex eod. lib.

ARGUMENTVM.

Amyntas Macedo, non fuerat quidē nominatus inter cōiuratos neque ab indice neque à reis quū in tormētis essent, sed suspicione vrgebatur ob nimiam eū Philota cōiunctionē, & quòd frater eius profugerat. Itaque ab rege vinciri iussus, necato Philota, productus statim in cōcionē fuit. Crimini data est cū Philota arcta necessitudo & recens cū eo cōgressus, aliquot dictorū procacitas, equi scribæ imperāti ferocius denegati, matris Alexandri ipsius literæ quibus vt sibi ab hoc caueret filiū monebat. Admissus ad causā dicendā Amyntas, diluit ea crimina omnia, sed præposterè, orsus à grauissimo, de iis quæ in regē intēperanter esset debacchatus. Defēisionis hæc est summa: Procacitatē purgat, excusata impotentia animi et linguæ quam durissimi labores militibus crebrius afferant: cōiunctionem cū Philota nō excusat, sed siquid est culpæ, eā omnē ab rege dicit sustineri qui hūc ornādo, fecisset vt eius amicitia omnes appeterent. Recusationem eorum confert in penuriā. Suspicionem matris deriuat in illius similitudine quā ipse officiosè in regem faciendo in se concitasset. Fugam fratris purgat illius ipsius interuētū.

Qualiscunque (inquit) exitus nos manet, rex, confitemur prosperum euentum tibi debituros, tristio rem fortunæ imputaturos. Sine præiudicio dicimus causam: liberis corporibus animis que habitū etiā in quo te comitari solemus, reddidisti. Causam non possumus, fortunam timere desinemus. Te quæso, permittas mihi id primum defendere quod à te vltimum obiectum est. Nos, rex, sermonis aduersus maiestatem tuā habitū nullius conscii sumus nobis. Dicerem iam pridem vicisse te inuidiam, nisi periculum esset ne alia malignè dicta crederes blanda oratione purgari. Cæterum etiam si militis tui vel in agmine deficientis & fatigati, vel in acie periclitantis, vel in tabernaculo ægri & vulnera curantis, aliqua vox asperior esset accepta, merueramus fortibus factis vt malle eā tempore nostro imputare quàm animo. Quum quid accidit tristius, omnes rei sunt: corporibus nostris, quæ vtique non odimus, infestas admouemus manus: parentes liberis si occurrant, & ingrati & inuisi sunt. Contrā quū donis honoramur, quū præmiis onusti reuertimur, quis ferre non potest? Quis illam animorū alacritatē continere? Militantiū nec indignatio nec lætitia moderata est. Ad omnes affectus impetu rapimur. Vituperamus, laudamus, miseremur, irascimur. Vt cunque præsens mouet affectio, modò Indiam adire & oceanum libet, modò coniugū & liberorum patriæque memoria occurrit. Sed has cogitationes, has inter se colloquentium voces, signum tuba datum finit. In suos ordines quisque currimus, & quicquid irarum in tabernaculo cōceptum est, in hostium effunditur capita. Vtinam Philotas quoque intra verba peccasset. Proinde ad id reuertar propter quod rei sumus. Amicitiam quæ nobis cū Philota fuit, adeo non eo inficias, vt experisse quoque nos, magnosque ex ea fructus percepisse confitear. An verò Parmenionis quē tibi proximū esse voluisti, filiū, omnes penè amicos tuos dignatione vincens cultum à nobis esse miraris? Tu hercule (si verū audire vis) rex, huius nobis periculi causa es. Quis enim alius effecit vt ad Philotam decurrerent qui placere vellēt tibi? Ab illo traditi, ad hūc gradū amicitia tuæ ascēdimus. Is apud te fuit, cuius gratiā expectere & iram timere possemus. An non propemodū in tua verba tui omnes te præunte iurauimus, eosdem nos inimicos amicosque habituros esse quos tu haberes? hoc sacramento

pietatis obstrikti aduersaremur, scilicet quem tum omnibus præferebas. Igitur si hoc crimen est, tu paucos innocentes habes, imò hercule neminem. Omnes enim Philotæ amici esse voluerunt: sed totidem quot volebant, esse non poterant. Ita si à consciis amicos non diuidis, nec ab amicis quidem separabis illos qui idem esse voluerunt. Quod igitur conscientia affertur indicium? ut opinor, quia pridie familiariter & sine arbitris loquutus est nobiscum. At ego purgare non possem, si pridie quicquam ex vetere vita ac more mutassem. Nunc verò si ut omnibus diebus, illo quoq; qui suspectus est, fecimus, consuetudo diluet crimen. Sed equos Antiphani non dedimus, & pridie quàm Philotas detectus est, hæc mihi cū Antiphane res erat. Qui si nos suspectos facere vult, quòd illo die equos nō dedimus, semetipsum quòd eos desiderauerit, purgare nō poterit. Anceps enim crimen est inter retinētē & exigentem, nisi quòd melior est causa suum non tradentis quàm poscentis alienum. Cæterum, rex, equos decem habui, è quibus Antiphanes octo iam distribuerat iis qui amiserāt suos. Omnino duos ipse habebā, quos quum vellet abducere homo superbissimus, certè iniquissimus, nisi pedes militare vellem, retinere cogebat. Nec inficias eo liberi hominis animo loquutū esse me cum ignauissimo, & hoc vnum militiae suæ vsurpante ut alienos equos pugnaturis distribuat. Huc enim malorum ventum est ut verba mea eodem tempore & Alexandro excussem & Antiphani. At hercule mater de nobis inimicis tuis scripsit. Vtinam prudentius esset sollicita pro filio, & non inanes quoque species anxio animo figuraret. Quare enim nō adscribit metus sui causam? Denique non ostendit autorem, quo facto dictōue nostro mota, tam trepidas tibi literas scripsit. O miseram conditionem meam cui forsitan non periculosius est tacere quàm dicere. Sed utcunque cessura res est, malo tibi defensionem meam displicere quàm causam. Agnosces autem quæ dicturus sum: quippe meministi quū me ad perducendos ex Macedonia milites mitteres, dixisse te multos integros iuuenes in domo tuæ matris abscondi. Præcepisti igitur mihi ne quem præter te intuerer, sed detrectantes militiam perducerem ad te. Quod equidem feci, & liberius quàm expediat mihi, exequutus sum imperium tuum. Gorgiam & Hecataeum & Gorgatam, quorum bona opera vteris, inde perduxi. Quid igitur iniquius est quàm me, qui, si tibi non paruisssem, iure daturus fui pœnas, nunc perire quia parui? Neque enim vlla alia matri tuæ persequendi nos causa est quàm quòd vtilitatem tuam muliebri præposuimus gratiæ. VI milia Macedonum peditum, & DC equites adduxi, quorum pars sequutura me non erat, si militiam detrectantibus indulgere voluisssem. Sequitur ergo ut quia illa propter hanc causam irascitur nobis, tu mitiges matrem qui iræ eius nos obtulisti.

COBARIS ORATIO,

Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Bessus Darii percussor deliberat inter scyphos cum familiaribus quemadmodum Alexandro persequenti resistant. Ipse sententiā suā aperit, ut fuga salutem quærant, seque in remotas Asiæ partes, & profundorum fluminum diuortis diuisas abdant, vbi se illis naturæ munimentis tueantur. Eunt in hanc sententiam alii: vnus Cobares, saniore mente hoc consilium improbat, & Besso auctor est ut se Alexandro dedat & eius arbitrio permittat. Hoc pacto sp̄ affulgere aliquam incolumitatis quæ in fuga nulla relicta sit.

Natura (inquit) mortaliū hoc quoq; nomine praua & sinistra dici potest, quòd in nō quisque negotio hebetior est quàm in alieno. Turbida facta sunt consilia eorum qui sibi suadent. Obstat aliis metus, aliis cupiditas, nō nūquā naturalis eorum quæ cogitaueris amor: nam in te superbia nō cadit. Expertus es vnumquenque quod ipse repererit, aut solum aut optimum ducere. Magnum onus sustines capite regium insigne. Hoc aut moderatè perferēdū est, aut (quod abominor) in te ruet. Consilio, non impetu opus est. Adiciit deinde quod apud Bactrianos vulgo vsurpant, Canem timidum uehementius latrare quàm mordere. Altissima quæque flumina minimo sono labi. Quæ inserui ut qualiscumque inter barbaros potuit esse prudentia, traderetur. In his audientium suspensam dederat expectationem sui.

Tum consilium aperit utilius Besso quam gratius. In vestibulo (inquit) regiae tuae velocissimus constat rex. Antè ille agmen quàm tu mensamistam mouebis. Nunc ab Tanai exercitum accerses, & armis flumina oppones. Scilicet quà tu fugiturus es, hostis sequi non potest. Iter vtrique commune est, victori tutius. Licet strenuum metum putes esse, velocior tamè spes est. Quin validioris occupas gratiam, dedisque te? Vt cunque cesserit, meliorem fortunam deditus quàm hostis habiturus. Alienum habes regnū, quo facilius eo careas. Incipies forsitan iustus esse rex, quum ipse fecerit qui tibi & dare potest regnum & eripere. Consilium habes fidele quod diutius exequi superuacuum est. Nobilis equus vmbra quoque virgæ regitur, ignauus ne calcari quidem concitari potest.

ALEXANDRI ORATIO, Ex eodem lib.

ARGUMENTVM.

Alexander parabat expeditionem in Scythas, & Tanaim traicere cogitabat: sed verabatur vt hoc consilium satis in vulgus militum probaretur. Inuitis autem militibus id tentare, ne expedire quidem putabat. Causæ cur illi renuerent erat hæ: quòd magna sanè moles negotii susciperetur in Scytharum oppugnatione, & quòd verebantur vt ne rex satisillam expeditionem obire ipse per infirmam valetudinem posset: quippe vixdū emerferat ex grauiissimi vulneris periculo. Agit igitur ipse cum dueibus, quibus in suã sententiã pertractis, non dubitat quin consilium suum militibus quoque prober. Rationem consilii sui exponit, non ad imperii tantum amplificationem, sed etiam ad eorum quæ subegerit defensionem sibi esse Scythas tentandos.

Discrimen (inquit) me occupauit meliore hostium quàm meo tempore. Sed necessitas ante rationem est, maximè in bello, quo rarò permittitur tempora eligere. Defecere Bactriani in quorum ceruicibus stamus, & quantum in nobis animi sit, alieno Marte experiuntur. Haud dubia fortuna si omiserimus Scythas vltro arma inferentes, contempti ad illos qui defecerunt, reuertemur. Si verò Tanaim transferimus, & vbique inuictos esse nos Scytharum pernicie ac sanguine ostenderimus, quis dubitabit patère Europam victoribus? Fallitur qui terminos gloriæ nostræ metitur spatio quod transuri sumus. Vnus amnis interfluit: quem si traicimus, in Europam arma proferimus. Et quanti æstimadum est, dum Asiam subigimus, in alio quodammodo orbe trophæa statuere, & quæ tam longo interuallo natura videtur diremissæ, vna victoria subito committere? At hercule si paululum cessauerimus, in tergis nostris Scythæ hærebunt. An soli sumus qui flumina tranare possumus? Multa in nosmetipsos recidēt, quibus adhuc vicimus. Fortuna, belli artem victos quoque docet. Vtribus amnem traiciendi exemplum fecimus nuper. hoc vt Scythæ imitari nesciant, Bactriani docebūt. Præterea vnus gentis huius adhuc exercitus venit, cæteri expectantur. Ita bellū vitando alemus, & quod inferre possemus, accipere cogemur. Manifesta est consilii mei ratio. Sed an permissuri sint Macedones animo vti meo, dubito, quia ex quo hoc vulnus accepi, nō equo vectus sum, non pedibus ingressus. Sed si me sequi vultis, valeo amici. Satis virium est ad toleranda ista. Aut si iam adest vitæ meæ finis, in quo tandem opere melius extinguar?

SCYTHÆ LEGATI ORATIO,

Ex eodem lib.

ARGUMENTVM.

Alexander habebat in animo, vti diximus, Scythis bellum inferre. Illi non erant nescii: sed colloquio & compositione prius quàm armis bellum propulsare voluerant. Itaque legationem ad Macedonem miserunt, quæ belli illati causas quæreret. Cuius hæc fuit oratio, tota collata ad Alexandrum commonendum, & à temeritate ad moderationem & prudentiam reuocandum. Docent igitur legati, Scythas & pacis & belli artes optimè callere. Itaque hos vt sibi beneuolentia adiungat potius quàm ad vim & ad arma vocet admonet. Imbecillam felicitatem & casus ancipites inculcant, multaque in hanc sententiam dicunt. Si debellantur, suam cladem sine vllò regis commodo esse posse, victoriam non sine maximo eius detrimento.

Si dii habitū corporis tui auiditati animi parè esse voluissent, orbis te nō caperet. Altera manu orientem, altera occidentem cōtingeres. Et hoc assequutus, scire velles vbi tanti numinis fulgōr conderetur. Sic quoque concupiscis quæ non capis. Ab

Europa petis Asiam, ex Asia transis in Europam. Deinde si humanum genus omne superaueris, cum siluis & niuibus & fluminibus ferisque bestiis gesturus es bellū. Quid tu? ignoras arbores magnas diu crescere, vna hora extirpari? Stultus est qui fructus earum spectat, altitudinē nō metitur. Vide ne, dū ad cacumē peruenire cōtendis, cū ipsis ramis quos comprehenderis decidas. Leo quoque aliquando minimarum auium pabulū fit: & ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est cui periculum non sit etiam ab inualido. Quid nobis tecum est? nunquam terram tuam attigimus. Qui sis, vnde venias, licēte ignorare in vastis siluis viuentibus? Nec seruire vlli possumus, nec imperare desideramus. Dona à nobis data sunt (ne Scytharum gentem ignores) iugum boum, aratrum, & sagitta & patera. His vtimur & cū amicis & aduersus inimicos. Fruges amicis damus, boum labore quæstas, patera cum his vinum diis libamus: inimicos sagitta eminus, hasta cominus petimus. Sic Scythiæ regem, & postea Persarum Medorumque superauimus, patuitque nobis iter vsque in Aegyptum. At tu qui te gloriaris ad latrones perfectos venire, omnium gentium quas adisti, latro es. Lydiam cepisti, Syriam occupasti, Persidem tenes: Bactrianos habes in potestate, Indos petisti. Iam etiam ad pecora nostra auaras & instabiles manus porrigis. Quid tibi diuitiis opus est quæ te esurire cogunt? Primus omnium satietate parasti famem, vt quo plura haberes, acrius quæ non habes, cuperes. Non succurrit tibi quàm diu circum Bactra hæreas? Dum illos subigis, Sogdiani bellare cœperunt. Bellum tibi ex victoria nascitur. Nam vt maior fortiôrque sis quàm quisquam, tamē alienigenam dominum nemo pati vult. Transi modò Tanaim, scies quàm latè pateat, nunquam tamē consequēris Scythas. Paupertas nostra velocior erit quàm exercitus tuus qui prædam tot nationum vehit. Rursus quum procul abesse nos credes, videbis in tuis castris. Eadē velocitate & sequimur & fugimus. Scytharum solitudines, Græcis etiā prouerbis audio eludi. Nos deserta & humano cultu vacua, magis quàm vrbes & opulentos agros sequimur. Proinde fortunam tuam pressis manibus tene. Lubrica est, nec inuita teneri potest. Salubre consilium sequens, quod præsens tempus ostēdit melius, impone felicitati tuæ frēnos: facilius illam reges. Nostri sine pedibus dicunt esse fortunā, quæ manus & pinnas tantum habet. Quum manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non sinit. Denique si deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere: sin autem homo es, id quod es, semper esse te cogita. Stultum est eorum meminisse propter quæ tui obliuisceris. Quibus bellum nō intuleris, bonis amicis poteris vtī. Nam & firmissima est inter pares amicitia: & videntur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. Quos viceris, amicos tibi esse caue credas. Inter dominū & seruum nulla amicitia est: etiam in pace, belli tamen iura seruantur. Iurando gratiam Scythas sancire ne credideris. Colendo fidem iurant. Græcorum ista cautio est, qui facta consignant, & deos inuocant: nos religionem in ipsa fide nouimus. Qui non reuerētur homines, fallunt deos. Nec tibi amico opus est de cuius beneuolentia dubites. Ceterum nos & Asiæ & Europæ custodes habes. Bactra, nisi diuidat Tanais, cōtingimus. Ultra Tanaim vsque ad Thraciam colimus. Thraciæ Macedoniam coniunctam esse fama est. Vtrique imperio tuo finitimos, hostes an amicos velis esse considera.

ALEXANDRI ORATIO AD TRE-
centos milites, Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

In Sogdianis petra erat expugnata difficillima. Patebat enim in altitudinem stadia 30, in orbem verò 150: vnde quaque ardua & prærupta, ne callibus quidem vllis peruia. Vnus qui ad cacumen ducebat aditus & angustus limes, ab hostibus tenebatur. Infederant enim petram triginta hominum millia. Alexander aduersus impedimenta omnia & naturæ & artificii enitens, ne huic quidem difficultati cedere voluit, & quoniā vis non valisset, dolo statuit aggredi. Hoc igitur commentus est ad eludendos hostes stratagemā. Negotium dat ducibus vt trecentos expeditos iuuenes conquirant exercitæ pernicitatis, qui rem pecuariam in montibus exercuerint, ac proinde assueverint in præcipitiis & locis deuuis insistere. His, terrorem incutere hostibus parabat. Qui vt cōvenerunt, hac oratione quid fieri velit exponit. Rationem illis ad cacumen perueniēdi

aperit. Hortatur vt strenuè rem aggrediatur, & aduersus omnes difficultates lucentur. Denique addit animos propofitis præmiis ampliffimis: itaque eos dimittit,

Vobifcum (*inquit*) ô iuuenes & mei æquales, vrbium inuictarum antè munimenta superavi, montium iuga perenni niue obruta emensus fum, angustias Ciliciæ intraui, Indiæ sine lassitudine vim frigoris fum perpeffus. Et mei documenta vobis dedi, & veftra habeo. Petra quam videtis vnum aditū habet, quem barbari obfidēt, cætera negligunt. Nullæ vigiliæ sunt nisi quæ castra noftra fpectant. Inuenietis viam fi folerter rimati fueritis aditus ferentis ad cacumen! Nihil tam altè natura conftituit, quò virtus non poffit eniti. Experiendo quæ cæteri desperauerunt, Afiam habemus in poteflate. Euadite in cacumen: quod quum cœperitis candidis velis fignum mihi dabit: ego copiis admotis hoftem in nos à vobis conuertam. Præmium erit ei qui primus occupauerit verticem, talenta x: vno minus accipiet qui proximus ei venerit: cademq; ad x homines feruabitur portio. Certum habeo vos non tam liberalitatem intueri meam quàm voluntatem.

CALLISTHENIS ORATIO, Ex lib. VIII.

ARGUMENTVM.

Cleo affentator Alexãdri in conuiuio fermonem captato opportuno tempore intulit, non eum quidem præfente rege, fed cupiente & omnia exaudiente è loco abdito. Ibi ex composito vt à rege maiorem iniret gratiam, eum laudibus in cælum cœpit tollere, & diuinos honores meritis eius inter cenā decerner e, obfcurè que libertatis defenfores, & nimio regis faftui infenfos, perstringere. Eorum facilè erat princeps Olynthius Callifthenes, nobilis & idē philofophus, qui tum affentatoris leuitatem & procacitatē diffimulare non potuit. Itaque hanc habuit in procerum conuiuio orationem, qua adulatoris illam cupiditatem notat. Regem nullo modo carpit, fed tantæ ambitionis fufpicionē prudenter liberat, quam illi fua oratione Cleo affingebat.

SI rex (*inquit*) fermoni tuo affuiffet, nullius profectò vox refponfuri tibi defideretur: ipfe enim peteret ne in peregrinos ritus degenerare fe cogeres, neu rebus feliciffimè gefsis inuidiam tali adulatione contraheres. Sed quoniã abeft, ego tibi pro illo refpondeo, nullum effe eundem & diuturnum & præcocè fructum: cæleftèfque honores non dare te regi fed auferre. Interuallo enim opus eft vt credatur deus, fempèrque hanc gratiam magnis viris pofteri reddunt. Ego autem feram immortalitatem precor regi, vt vita diuturna fit & æterna maiestas. Hominem confequitur aliquando, nūquam comitatur diuinitas. Herculem modò & patrem Liberū cõfecratæ immortalitatis exèpla referebas. Credifne illos vnus cõuiui decreto deos factos? Prius ab oculis mortalium amolita natura eft quàm in cælum fama perueheret. Scilicet ego & tu Cleo deos facimus? A nobis diuinitatis fuæ autoritatem accepturus eft rex? Potentiam tuam experiri libet. Faç aliquem regem, fi deum potes facere: facilius eft imperium dare quàm cælum. Diu propitiū fine inuidia quæ Cleo dixit, audierint, eodémque curfu quo fluxeres, ire patiantur. Noftris moribus velint nos effe contentos. Non pudet patriæ nec defidero ad quem modum rex mihi colendus fit difcere. Quos equidem victores effe confiteor, fi ab illis leges queis viuamus, accipiamus.

HERMOLAI ORATIO, Ex eodém libro.

ARGUMENTVM.

Hermolaus nobilis adolefcens ex cohorte regia acerbioze regis animaduorfione irritatus, impulfore Softrato, confilium regis per infidias opprimendi cum aliquot confociis inuit. Statuit dolorem vlcifci fuum. Res ab indice prolata eft. Confocii fccleris capti, verberibus torti & necati funt præter eum qui indicium fecerat. Solus Hermolaus caufam dixit audiente militum corona. Eius eft hæc oratio, qua non inficiatur factum, fed crudelem & multorum iam cade contaminatum tyrannum, faftidiofum, crudelem, fuperbum, fuorum fanguine & vulneribus gloriam fibi quærentem, denique indignum qui ingenuis imperet, & liberorum hominum vtatur opera.

NO Sverò (*inquit*) quoniã quafi nefcias quæris, occidendi te confilium inuimus, quia non vt ingenuis imperare cœpifti, fed quafi in mancipia dominaris. *Primus*

ex omnibus pater ipsius Sopolis, parricidam etiam parentis sui clamitans esse, consurgit, & ad os manu obiecta, scelere & malis insanientem ultra negat audiendum. Rex inhibito patre, dicere Hermolaum iubet quæ ex magistro didicisset Callisthene. Et Hermolaus, Vtor (inquit) beneficio tuo, & dico quæ nostris malis didici. Quota pars Macedonũ sæuitiæ tuæ superest: quotus quisq; nõ è vilissimo sanguine? Attalus & Philotas & Parmenio & Lyncestes, Alexâder & Clytus, quantũ ad hostes pertinet, viuunt, stant in acie: te clypeis suis protegunt & pro gloria tua, pro victoria vulnera accipiunt. quibus tu egregiam gratiam retulisti. Alius mensam tuam sanguine suo asperfit, alius ne simplici quidem morte defunctus est. Duces exercituum tuorum in equuleũ impositi. Persis quos vicerant fuere spectaculo. Parmenio indicta causa trucidatus est per quem Attalum occideras. Inuicem enim miserorum vteris manibus ad expetenda supplicia. Et quos paulo antè ministros cædis habuisti, subitò ab aliis iubes trucidari. *Obstrepunt subinde cuncti Hermolao. Pater supremum strinxerat ferrum, percussurus haud dubiè, ni inhibitus esset à rege: (quippe Hermolaũ dicere iussit) petiitque ut causas supplicii angètem patienter audirent.* AEgre ergo coercitis, rursus Hermolaus, Quàm liberaliter (inquit) pueris rudibus ad dicendum agere permittis: & Callisthenis vox carcere inclusa est, quia solus potest dicere. Cur enim non producitur quum etiam confessi audiuntur? nempe quia liberam vocè innocentis audire metuis, ac ne vultum quidem pateris. Atqui nihil eum fecisse contendo. Sunt hîc qui mecum rem pulcherrimam cogitauerunt. Nemo est qui conscium fuisse nobis Callisthenem dicat, quum morti olim destinatus sit à iustissimo & patièntissimo rege. Hæc ergo sunt Macedonum præmia, quorum vt superuacuo & sordido abuteris sanguine. At tibi xxx millia mulorum captiuum aurum vehũt, quum milites nihil domum præter gratuitas cicatrices relaturi sint. Quæ tamen omnia tolerare potuimus, antequam nos barbaris dederes, & nouo more victores sub iugum mitteres. Persarum te vestis & disciplina delectat, patrios mores exosus es. Persarum ergo non Macedonum regem occidere voluimus: & te transfugam, belli iure persequimur. Tu Macedonas voluisti genua tibi ponere venerarique te vt deum: tu Philippũ patrem auersaris: & si quis deorum ante Iouem haberetur, fastidires etiam Iouem. Miraris si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus? Quid speramus ex te quibus aut infontibus moriendũ est, aut (quod tristius morte est) in seruitute viuendũ? Tu quidem si emendari potes, multum mihi debes: ex me enim scire cœpisti quod ingenui homines ferre nõ possunt. De cætero parce, quorũ orbam senectutem supplicis ne oneraueris. Nos iube duci, vt quod ex tua mortè petieramus consequamur ex nostra.

ALEXANDRI ORATIO, Ex cod. lib.

ARGVMENTVM.

Patefacta Hermolai coniuratione in Alexandrum, sequebatur vt is perduellionis pœnam subiret, & plecteretur. Sed ne indicta causa periret, produci eum ad concionem Alexander voluit. Productus causas suscepti facinoris protulit has: sæuitiam regis & supplicia illustrium virorum, sordes atque auaritiã in militibus remunerandis: fastidium eius & despiciatũ suorum ad alios ornandos. Obiecta hæc partim vitia partim crimina diluit hac oratione Alexander, & ad singula sigillatim respondet. Ad primum, exempla suppliciorum in facinorosos, & eos conuictos rerum capitalium, fuisse edita: ad secundũ, se suæ liberalitatis locupletes habere testes omnes Macedones, quorũ tenuitas in summam opulentiam munificentiã suã sit mutata: in tertium, se diuinos honores esse aucupatum vt maiorem metum inferret gentibus suo nomine. Quod verò exteras nationes amplexetur, pertinere id ad imperii stabilitatem. Esse enim stabiliora quæ beneuolentiã continentur quàm quæ metu.

Quàm falsa sint (inquit) quæ iste tradita à magistro suo, dixit, patientia mea ostendet. Confessum enim vltimum facinus, tamen vt vos quoque, non solam ipse, audiretis, expressi non imprudens, quum permisissẽ huic latroni dicere, vsurũ eum rabie qua compulsus est, vt me quem parentis loco colere debet, vellet occidere. Nuper quum procacius se in venatione gessisset, more patrio & ab antiquissimis Macedoniae regebus vsurpato, eum castigari iussi. Hoc & oportet fieri, & vt à tutoribus pupilli, à maritis vxores, seruis quoq; huius pueros atatis verberare cõcedimus. Hæc est sæuitia in ipsum meã quam impia cæde voluit vlasci. Nam in cæteros qui mihi permittunt vt ingenio

meo, quàm mitis sim, non ignoratis: commemorare superuacuum est. Hermolao parricidarum supplicia non probari, quum eadem ipse meruerit, minimè hercule admiror. Nam quum Parmenionem & Philotà laudat, suæ seruit causæ. Lyncestem verò Alexandrum bis insidiatum capiti meo à duobus indicibus liberaui. Rursus conuictum, per biennium tamen distuli, donec vos postularetis vt tandem debito supplicio scelus lueret. Attalum antequam rex essem, hostem meo capiti fuisse meministis. Clytus vtinam non coegisset me sibi irasci: cuius temerariam linguam probra dicentem mihi & vobis, diutius tuli quàm ille eadem me dicentem tulisset. Regum ducumque clementia non ipsorum modò, sed etiam in illorum qui parèt, ingeniis sita est. Obsequio mitigatur imperia: vbi verò reuerentia excessit animis, & summa imis confundimus, vi opus est vt vim repellamus. Sed ego quid mirer istū crudelitatem mihi obiecisse qui auaritiā exprobrare ausus sit? Nolo singulos vestrum excitare, ne inuisam liberalitatem meam faciam, si pudori vestro grauem fecero. Totum exercitum aspiciate, qui paulo antè nihil præter arma habebat, nunc argenteis cubat lectis. Mensas auro onerant, greges seruorū ducūt, spolia de hostibus sustinere nō possunt. At enim Persæ quos vicimus in magno honore sūt: apud me quidē: moderationis meæ certissimū indicium est quòd ne victis quidem superbè impero. Veni enim in Asiam, non vt funditus euerterè gentes, nec vt dimidiam partem terrarum solitudinem facerem, sed vt illos quoque quos bello subegissem victoriæ meæ non pœniteret. Itaque militant vobiscum, pro imperio vestro sanguinem fundunt, qui superbè habiti, rebellassent. Non est diuturna possessio in quam gladio inducimur. Beneficiorū gratia sempiterna est. Si habere Asiam, non transire volumus, cū his communicanda est nostra clemētia. Horum fides stabile & æternum faciet imperiū & sanè plus habemus quàm cupimus. Infatiabilis autem auaritiæ est, adhuc implere vel le quod iam circumfluit. Veruntamen eorum mores in Macedonas trāsfundo. In multis enim gentibus esse video quæ non erubescamus imitari: nec aliter tantum imperiū aptè regi potest quàm vt quædam & tradamus illis, & ab iisdem discamus. Illud penè dignum risu fuit, quod Hermolatus postulabat à me vt auersarer Iouem, cuius oraculo agnoscor. An etiam quid diū respondeant, in mea potestate est: Obtulit nomē filii mihi: recipere, ipsis rebus quas agimus, haud alienum fuit. Vtinam Indi quoque deum esse me credant. Fama enim bella constant, & sæpe etiam quod falsò creditum est, veri vicem obtinuit. An me luxuriæ indulgentem putatis arma vestra auro argentoque adornasse? Asuetis nihil vilius hac videri materia, volui ostendere: Macedonas inuictos cæteris nec auro quidem vinci. Oculos ergo primū eorum fordida omnia & humilia spectantium capiam: & docebo, nos non auri aut argenti cupidos, sed orbem terrarum subacturos venisse. quam gloriam tu parricida intercipere voluisti, & Macedonas, rege adempto, deuictis gentibus dedere. At nunc mones me vt vestris parentibus parcam. Non oportebat quidem vos scire quid de his statuissem, quòd tristiores periretis, si qua vobis parentū memoria & cura est. Sed olim istum morem occidendi cum scelestis infantes, propinquos parentēsque, solui: & profiteor in eodem honore futuros omnes eos in quo fuerunt. Nam tuum Callisthenem, cui vni vir videris, quia latro es, scio cur produci velis, vt corā his probra quæ modò in me iecisti, modò audisti, illius quoque ore referantur. Quæ, si Macedo esset, tecum introduxissem, dignissimum te discipulo magistrum: nunc Olynthio non idem iuris est.

ALEXANDRI AD MILITES ORATIO,

Ex libro IX.

ARGUMENTVM.

Alexander longa iam terrarum spatia vincendo emensus, nondum tamen ad metam aspirauerat quam laboribus suis proposuerat, & plura animo erat complexus. Habebat enim in animo non prius conquiescere quàm ad oceanum Indicum victor peruenisset, vt idem limes suas victorias, & orbem terrarum definiret. Sed sciebat nō esse eundem animum suis: neque id illi obscure ferebant. Non ignorabat quin eos tardium laboriosæ & tam diuturnæ militiæ cepisset. Itaque relanguescens animos conatur hac oratione instaurare & reuocare. Commemorat res gestas: præ his reliquias quæ superfluent, nihili esse faciendas ostendit. Vix aliud restat nisi vt reliquias suarū victoriarū

persequantur. Labores qui adeundi relinquuntur, esse leues & breues: premia vero amplissima & perpetua. Ad extremum quum videret eos penitus despondisse animos, nec ullam vocem mittere testem suae comprobationis, vehementi vitur querela qua suorum ignauiam incusat.

NON ignoro milites, multa quæ terrere vos possent, ab incolis Indiae per hos dies de industria esse iactata. Sed non est improuisa vobis mēientium vanitas. Sic Ciliciae fauces, sic Mesopotamiae campos, Tigrim & Euphratem, quorum alterum vado transiuimus, alterum ponte terribilem fecerant Persae. Nunquam ad liquidum fama perducitur: omnia illa tradente, maiora sunt vero. Nostra quoque gloria quum sit ex solido, plus tamen habet nominis quam operis. Modò quis belluas offerentes mœniū speciē, quis Hydaspē amnē, quis cætera auditu maiora quam vero, sustinere posse credebatur? Olim hercule fugissemus ex Asia, si nos fabulae debellare potuissent. Creditisne elephantorum greges maiores esse quam vsquam armentorum sunt? quum & rarum sit animal, nec facillè capiatur, multoque difficilius mitigetur? Atqui eadem vanitas copias peditum equitumque numerauit. Nam flumen quò latius fuscum est, hoc placidius stagnat: quippe angustis ripis coercita, & in angustiore alueum elisa, torrentes aquas inuehunt: contra spatio aluei segnior cursus fit. Præterea in ripa omne periculum est, ubi applicantes nauigia hostis expectat. Ita quantumcunque flumen interuenit, idem futurum discrimen est euadentium in terram. Sed omnia ista vera esse fingamus. Vtrumne vos magnitudo belluarum, an multitudo hostium terret? Quod pertinet ad elefantos, præsens habemus exemplum: in suos vehementius quam in nos incurrerunt. Tam vasta corpora securibus falcibusque mutilata sunt. Quid autem interest totidē sint, quot Porus habuit, an tria millia, quum vno aut altero vulneratis, cæteros in fugam declinare videamus: Deinde paucos quoque incommodè regunt, congregata verò tot millia ipsa se elidunt, ubi nec stare nec fugere potuerint inhabiles vastorum corporū moles. Equidem sic animalia ista contempsi vt quum haberem, ipse non opposuerim: satis gnarus, plus suis quam hostibus periculi inferre. At enim equitum peditumque multitudo vos commouet. Cum paucis enim pugnare soliti estis, & nunc primùm inconditam sustinebitis turbam. Testis aduersus multitudinem inuicti Macedonū roboris Granicus amnis & Cilicia inūdata cruore Persarum, & Arbella cuius campi deuictorum à nobis offibus strati sunt. Serò hostium legiones numerare cœpistis, posteaquam solitudinem in Asia vincendo fecistis. Quum per Hellespontum nauigarem, de paucitate nostra cogitandum fuit. Nunc nos Scythæ sequuntur, Bactriana auxilia præsto sunt. Dahæ, Sogdianique inter nos militant: nec tamen illi turbæ confido. Vestras manus intueor, vestram virtutem, rerum quas gesturus sum, vadem prædēmque habeo. Quandiu vobiscum in acie stabo, nec mei nec hostium exercitus meminero. Vos modò animos mihi plenos alacritatis ac fiduciae adhibete. Non in limine operum laborumque nostrorum, sed in exitu stamus. Peruenimus ad solis ortum & oceanum, nisi obstat ignauia: inde victores perdomito sine terrarum, reuertemur in patriam. Nolite (quod pigri agricolæ faciūt) maturos fructus per inertiam amittere è manibus. Maiora sunt periculis præmia. diues eadem & imbellis est regio. Itaque non tam ad gloriam vos duco quam ad prædam. Digni estis qui opes quas illud mare litoribus inuehit, referatis in patriam: digni qui nihil inexpertum, nihil metu omissum relinquatis. Per vos gloriamque vestram qua humanum fastigium exceditis, perque & mea in vos & in me vestra merita quibus inuicti contendimus, oro, quæsoque ne humanarum rerum terminos adeuntem alumnum commilitonemque vestrum, ne dicam regem, deseratis. Cætera vobis imperaui, hoc vnum debiturus sum. Et is vos rogo, qui nihil vnquã vobis præcepi quin primus me periculis obtulerim, qui sæpe a ciem clypeo meo texi. Ne infregeritis in manibus meis palmam, qua Herculem Liberumque patrē, si inuidia abfuerit, æquabo. Date hoc precibus meis, & tandem obstinatum silentium rumpite. Vbi est ille clamor alacritatis vestrae index? Vbi est ille meorum Macedonū vultus? nam agnosco vos milites, nec agnosci videor à vobis. Surdas iam dudum aures pulso, auersos animos, & infractos excitare conor. *Quum que illi in terrā demissis capitibus tacere perseverarent,* Nescio quid (inquit) imprudens in vos deliqui, quòd me ne intueri quidem vultis. In solitudine mihi videor esse. Nemo respòdet, nemo saltem negat, quos alloquor. Quid autem postulo: vestram gloriam & magnitu-

dinem vindicamus. Vbi sunt illi quorum certamen paulo antè vidi contenditum, qui potissimum vulnerati regis corpus exciperent? Desertus, destitutus sum, hostibus deditus. sed solus quoque ire perseverabo. Obiicite me fluminibus & belluis, & illis gentibus quarum nomina horretis. Inueniam qui desertum à vobis sequantur. Scythæ Bactrianique erunt mecum, hostes paulo antè, nunc milites nostri. Mori præstat quàm precario imperatorem esse. Ite reduces domos, ite deserto rege ouantes. Ego hîc à vobis desperatæ victoriæ, aut honestæ morti locum inueniam.

COENI ORATIO AD ALEXANDRVM,
Ex eodem libro.

ARGVMENTVM.

Consternata concione ad proximam Alexandri orationem, & pertinaciter tacente, quòd nec assentiri regi vellent, nec præcisè denegare auderent, nec vllus communem causam publicè susciperet, Cænus vnus ducum processit in medium, & regè omnium verbis rogauit vt parceret defatigationi & imbecillitati omnium suorum, qui tot laboribus exhausti non possent militiæ molestias tolerare, præsertim quò se infinitus ostenderet labor si ea loca peteret. Seruire illum suæ gloriæ non posse incolumi exercitu quem tot annorum difficultates attriuissent.

DII prohibeant (*inquit*) à nobis impias mētes, & profectò prohibēt. Idē animus est tuis qui fuit semper: ire iusseris, pugnare, periclitari, sanguine nostro cōmēdare posteritati tuū nomē. Proinde si perseveras, inermes quoq; & nudi, & exāgues, vtcūque tibi cordi est, sequimur vel antecedimus. Sed si audire vis non fictas tuorum militū voces, rerum necessitudine vltima expressas, præbe quæso propitias aures, imperium atque auspiciū tuum constantissimè sequutis, & quocunq; pergis sequuturis. Vicisti, rex, magnitudine rerum, non hostes modò, sed etiam milites. Quicquid mortalitas capere poterat, impleuimus. Emēsis maria terrāsque, melius nobis quàm incolis omnia nota sunt. Penè in vltimo mundi fine consistimus, in alium orbem paras ire, & Indiā quæris, Indis quoque ignotam. Inter feras serpentēsq; degentes eruere ex latebris & cubiculis suis expetis, vt plura quàm sol videt, victoriæ lustres. Digna prorsus cogitatio animo tuo, sed altior nostro. Virtus enim tua semper in incremēto erit, nostra vis in fine iā est. Intuere corpora exanguia, tot perfossa vulneribus, tot cicatricibus putrida. Iam tela hebetia sunt, iam arma deficient. Vestem Persicam induimus, quia domestica subuehi nō potest, in externum degenerauimus cultum. Quotocuique lorica est? quis equum habet? lube quæri quàm multos serui ipsorum persequuti sunt, quid cuiq; superfit ex præda. Omnium victores, omnium inopes sumus: nec luxuria laboramus, sed bello. Instrumenta belli consumpsimus: hunc tu pulcherrimum exercitum nudum obiicies belluis? Quarum vt multitudinem augeant de industria barbari, magnum tamen esse numerū etiam ex mendacio intelligo. Quòd si adhuc penetrare in Indiam certū est, regio à meridie minus vasta est. Qua subacta, licebit decurrere in illud mare quod rebus humanis terminū voluit esse natura. Cur circuitu petis gloriam quæ ad manū posita est? Hîc quoque occurrit oceanus: nisi maus errare, peruenimus quò tua fortuna ducit. Hæc tecum quàm sine te cum his loqui malui: non vt inirem circumstantis exercitus gratiam, sed vt vocem loquentium potius quàm vt gemitum murmurantium audires.

CRATERI AD ALEXANDRVM ORATIO,

Ex lib. x.

ARGVMENTVM.

Alexander ex grauissimo vulnere, & propè letali in Oxydracorum oppugnatione accepto, conualuerat. Sed quum esset infirmior, nec per imbecillitatem vilitata munia tutò obire posset, & tamen conaretur, neque omnino valerudini indulgeret, magnumque esset ab ea audacia periculum, amici quibus de more statio pro prætorio erat, rogandi regis has partes tribuerunt Cratero, vt is sibi parceret. Qui cū illis ingressus, regi exposuit quàm omnes essent de eius salute solliciti. Ea anxietate ita se leuari posse, si rex seipse

se ipse respiceret, nec ita praesentia pericula subiret, praesertim tenuioribus victoriae praemiiis propositis. Pollicetur ab omnibus paratam & strenuam operam. Omnia enim omnes, ne ille in apertum discrimen adducatur, esse facturos.

CRedisne (*inquit*) aduentu magis hostium, ut iam in vallo consisterent, quam cura salutis tuae, ut nunc est tibi vilis, nos esse sollicitos? Quantalibet vis omnium gentium conspiret in nos, impleat armis virisque totum orbem, classibus maria consternat, inusitata belluas inducat, tu nos praestabis inuictos. Sed quis deorum hoc Macedoniae columen ac fidus diuturnum fore polliceri potest? quum tam auidè manifestis periculis offeras corpus, oblitus tot civium animas trahere te in casum? Qui enim tibi superstes, aut optat esse aut potest? Eò peruenimus, auspiciū atq; imperium sequuti tuū, unde, nisi te reduce, nulli ad penates suos iter est. Qui si adhuc de Persidis regno cū Dario dimicares, & si nemo vellet, tamen ne admirari quidem posset tam promptae esse te ad omne discrimen audaciae. Nam ubi paria sunt periculum ac praemium, & secundis rebus amplior fructus est, & a duersis solatiū maius. Tuo verò capite ignobilem vicum emi quis ferat, nō tuorum modò militum, sed vllius etiam gentis barbarae, qui tuā magnitudinem nouit? Horret animus cogitatione rei quam paulo antè vidimus. Eloqui timeo, inuicti corporis spolia inertissimas manus fuisse auerturas, nisi te interceptum misericors in nos fortuna seruasset. Totidē proditores, totidē desertores sumus, quot te non potuimus persequi. Vniuersos licet milites ignominia notes, nemo recusabit luere id quod ne admitteret, praestare non potuit. Patere nos, quæso, alio modo esse viles tibi. Quocunque iusseris, ibimus. Obscura bella & ignobiles pugnas nobis deposcimus. Temetipsum ad ea serua pericula quæ magnitudinem tuam capiunt. Citò gloria obsolescit in sordidis hostibus: nec quicquam indignius est quàm consumi eam ubi non possit ostendi.

ALEXANDRI AD AMICOS ORATIO,

Ex eodem libro.

ARGUMENTVM.

Respondet ad amicorum postulationem Alexander. Voluntatem plenam pietatis, obsequii ac benevolentiae, amplexatur. Eum sibi esse vitæ fructum docet quòd tam beneuolis & fidelibus comitibus uti sibi contingat. Quod verò de periculis vitandis dixissent, ita se interpretari, & de eo ita cogitare, ut quum gloriam imprimis adamarit, ut prae ea cetera nihili pendat, certū sibi sit pro ea retinēda atque augēda, nullos labores, nulla pericula subterfugere. Quos habeat stimulos ad eam appetendam exponit. Proinde se gloriae, non autem valetudinis & vitæ rationem habere velle. Monet ut si suam illam sollicitudinem ad intestinarum insidiarum propulsationem conuertant. Hanc sibi esse antiquiorem cautionem, & ipsis esse debere. Ad extremum aliquid de matris apothefi mandat.

Vobis quidem (*inquit*) o fidissimi piissimique civium atque amicorum, grates ago habeoque, nō solum eo nomine quòd hodie salutem meam vestrae praepositis, sed quòd à primordiis belli nullum erga me benevolentiae pignus atque indicium omisit: adeo ut confitendum sit, nūquam mihi vitam meam fuisse tam charā quàm esse coepit, ut vobis diu frui possim. Cæterum non eadem est cogitatio eorum qui pro me mori optant, & mea qui quidem hanc benevolentiam vestram virtute meruisse me iudico. Vos enim diuturnum fructum ex me, forsitan etiam perpetuum percipere cupitis. Ego me metior nō ætatis spatio, sed gloriae. Licuit paternis opibus contēto, intra Macedoniae terminos per otium corporis expectare obscuram & ignobilem senectutem. Quāquā ne pigri quidē sibi fara disponūt, sed vnicū bonū diuturnā vitā aestimantes, saepe acerba mors occupat. Verum ego qui non annos meos sed victorias numero, si muna fortuna bene cōputo, diu vixi. Ori? à Macedonia imperiū, Græciā teneo: Thraciā, & Illyricos subegi: Triballis Medisque imperito. Asiā quā Hellepōto, quā rubro mari allitur, possideo. Iamq; haud procul absūm à fine mūdi. Quem egressus, aliam naturam, alium orbem aperire mihi statui. Ex Asia in Europæ terminos momento vnus horæ transui. Victor vtriusque regionis post nonum regni mei, post vicesimum atq; octauū ætatis annum, videor ne vobis in excolenda gloria, cui me vni deuoui, posse cessare: Ego

verò non deero, & vbicunque pugnabo, in theatro terrarum orbis esse me credam. Dabo nobilitatem ignobilibus locis. Aperiam cunctis gentibus terras quas natura longè submouerat. In his operibus extingui, mihi (si fors ita feret) pulchrū est. Ea stirpe sum genitus, vt multā prius quàm longam vitam debeam optare. Obsecro vos, cogitate nos peruenisse in terras quibus ob fœminæ virtutem celeberrimum nomē est. Quas vrbes Semiramis condidit: quas genteis redegit in potestatem: quanta opera molita est? Nondum fœminam æquauimus gloria, & iam nos laudis satietas cepit? Dii faueant, maiora adhuc restant. Sed ita nostra erunt quæ nondum attigimus, si nihil paruum duxerimus in quo magnæ gloriæ locus est. Vos modò me ab intestina fraude & domesticorū insidiis præstate securum. Belli Martisque discrimen impavidus subibo. Philippus in acie tutior quàm in theatro fuit. Hostium manus sæpe vitauit, suorum effugere non valuit. Aliorum quoque regum exitus si reputaueritis, plures à suis quàm ab hoste interempros numerabitis. Cæterum quoniã olim rei agitæ in animo meo, nūc promendæ occasio oblata est: mihi maximus laborum atque operum meorum erit fructus, si Olympias mater immortalitati consecretur quandocunque excefferit vita. Si licuerit, ipse præstabo hoc: si me præceperit fatum, vobis mandasse mementote.

ALEXANDRI AD MILITES ORATIO,

Ex lib. x.

ARGUMENTVM.

Alexander missionem daturus erat militibus qui per ætatem emeriti essent, aut qui omnino per infirmitatē corporum militiæ labores sustinere non possent: sed eam sperabant vniuersi. Et quia tum longè in orientem processerat, veriti ne sedem imperii in Asia constitueret, quæ res optatam illis in patriam reuersionem eriperet, missionem omnes audacius & tumultuosius flagitare cœperunt, & iam apertè impositos militiæ labores detrectare. Alexander eorum motuum insolens, vt qui alacri eorum semper opera & parata vsus esset, tum commotus est. Augebat indignationem obliuio recentis suæ erga eos liberalitatis. nam magnam vim auri ad eos ære alieno liberandos effuderat. Hac igitur oratione coercere illorum ferociam conatur. Cōmemorat sua erga eos beneficia, quorum eos obliuio ceperat. Quantum obsequium à militibus requiratur ostendit. Indignos esse opibus & gloria quam secum habent communem. Ad extremum exardescit ira, & eorum operam repudiat.

Quid hæc (*inquit*) repens consternatio, & tam procax atque effusa licentia denuntiat? Eloqui timeo, palàm certè rupistis imperium, & precariò rex sum, cui non alloquendi, non noscendi monendique, aut intuendi vos ius reliquistis. Equidè quum alios dimittere in patriam, alios mecum paulo pòst deportare statuerim, tam illos acclamantes video qui abituri sunt, quàm hos cum quibus præmissos subsequi statui. Quid hoc est rei? Dispari in causa idem omnium clamor est. Peruelim scire vtrum qui discedunt, an qui retinentur, de me querantur. *Crederes uno ore omnes sustulisse clamorem, ita pariter ex tota concione responsum est, omnes queri. Tum ille, Non hercule (*inquit*) potest fieri vt adducar querendi simul omnibus hanc causam esse quam ostenditis, in qua maior pars exercitus non est, vtpote quum plures dimiserim quàm retenturus sum. Subest nimirū altius malum quod omnes auerit à me. Quando enim regem vniuersus exercitus deseruit: Ne serui quidem vno grege profugiunt dominos: sed est quidam in illis pudor à cæteris destitutos relinquendi. Verùm ego tam furiosæ consternationis oblitus, remedia insanabilibus conor adhibere. Omnem hercule spem quam ex vobis cōceperā damno: nec vt cum militibus meis, (iam enim esse desistis) sed vt cum ingratis, vt oportet, agere decreui. Secundis rebus quæ circumfluunt vos, insanire cœpistis, oblitus status eius quem beneficio exuistis meo. Digni hercule qui in eodem consensescatis: quoniam facilius est vobis aduersam quàm secūdā regere fortunā. En tādè Illyriorū paulo antè & Perfarū tributariis, Asia & tot gentium spolia fastidio sunt. Modò sub Philippo seminudis amicula ex purpura fordēt. Aurū & argentū oculi ferre non possunt. Ligna enim vasa desiderant, & ex cratibus scuta, rubiginemque gladiatorum. Hoc cultu nitentes vos accepit & quingenta talenta æris alieni, quum omnis regia supellex haud amplius quàm sexaginta talentorū sit, meorū operū fundamēta, quibus tamē (absit inuidia) imperiū maximæ terrarū partis imposui. Asiæne peræsum est quæ vos gloria rerū gestarū diis pares fecit: In Europam ire properatis, rege deserto, quū pluribus vestrum defuturum viaticū*

fuert, ni as alienum luissem: nempe in Asiatica præda: nec pudet profundo ventre de-
uictarum gentium spolia circumferentes reuertelle ad liberos cõiugésque, quibus pau-
ci præmia victoria potestis ostèdere. Nam cæterorum, dum etiam spei vestræ obuiam
istis, arma quoque pignori sunt. Bonis verò militibus cariturus sum, pellicum suarum
cõcubinis, quibus hoc solum ex tantis opibus superest, quod impèditur. Proinde fugi-
tibus me pateant limites, faceffite hinc ocyus. Ego cum Persis abeütium terga tutabor.
Neminem teneo: liberate oculos meos ingrattissimi ciues. Latè vos excipient parentes li-
berique sine vestro rege redeuntes: obuiam ibunt desertoribus transfugisque? Trium-
phabo me hercule de fuga vestra, & vbicunque ero expetã pœnas, hos, cum quibus me
relinquitis, colèdo præferendóque vobis. Iam autem scietis & quantum sine rege valeat
exercitus, & quid opis in me vno sit

ALEXANDRI AD PEREGRINOS MI- lites oratio, Ex eodem lib.

ARGVMENTVM.

Alexander stomacho & indignatione ardens, quod superior oratio docuit, repudia-
tis Macedonibus peregrinos milites sibi asciiuit ad honores iis mãdandos. Eos vt bene-
ficientia sibi adiunxerat, sic liberali hac oratione magis ac magis conciliat. Persarum lau-
dat in reges suos obsequium & obedientiam. Neq; eã tũ primũ compertam sibi esse
dicit, sed testimonium se sui iudicii dare. Deceuisse autem res maximas eis credere. Ad
laudationem adiicit liberalitatis erga eos suæ commemorationem, quam sit nouorum
beneficiorum & honorum splendorum accessione cumulaturus.

QVVM ex Europa traicerem in Asiam, multas nobiles gentes, magnam vim
hominum imperio meo me additurum esse sperabam. Nec deceptus sum quòd
de his credidi famæ. Sed ad illa hoc quoq; accessit, quòd video fortes viros erga re-
ges suos pietatis inuictæ. Luxu omnia fluere credideram, & nimia felicitate mergi in vo-
luptates. At hercule munia militiæ hoc animorum corporumque robore, æquè impi-
grè toleratis: & quum fortes viri sitis, non fortitudinem magis quàm fidem colitis. Hoc
ego nõ nunc primũ profiteor, sed olim scio. Itaque & delectum è vobis iuniorum ha-
bui, & vos meorum militum corpori immiscui. Idem habitus, eadem arma sunt vobis:
obsequium verò & patientia imperii, longè præstantior est quàm cæteris. Ergo ipse O-
xyatris Persæ filiam mecum in matrimonio iunxi, non dedignatus ex captiua liberos
tollere. Mox deinde quum stirpem generis mei latius propagare cuperem, vxorem, Da-
rii filiam, duxi: proximisque amicorum autor fui ex captiuis generandi liberos, vt hoc
sacro foedere omne discrimen victi & victoris excluderem. Proinde genitos esse vos mi-
hi, non ascitos milites credite. Asia & Europæ vnum atque idem regnum est. Macedo-
num vobis arma do. Inueteraui peregrinã nouitatè: & ciues mei estis & milites. Omnia
eundem ducunt colorem. Nec Persis Macedonum morem adumbrare, nec Macedoni-
bus Persas imitari indecorum est. Eiusdem iuris esse debent qui sub eodem rege victu-
ri sunt.

PERDICCAE IN CONCIONE MILI- tum oratio, Ex eodem lib.

ARGVMENTVM.

Mortuo Alexãdro primũ discordia inter principes est coorta: pòst grauissimi
motus efferbuerunt. Quum enim de successore regni creando conuenissent, diu variatũ
est sententiis, quum idoneus nemo & par tanto oneri inueniretur, ad quem guberna-
cula amplissimi imperii deferrent. Neque enim Alexander sobolem reliquerat: quan-
quam vterum gerebat Roxane vxor eius quam ex Persis duxerat: sed incertam prolem
expectare alienum videbatur. Magnus negotiorum tumor impendebat, qui non erat
nisi probato alicui committendus. Ad sententiam igitur dicendam admissus Perdicca,
censet primũ vt iusta & diuini honores persoluantur Alexandro, deinde vt partus
Roxanes expectetur, qui ad trimestre sperabatur. Successorem illum posthumum fu-
turum regi legitimum.

EGO quidem (*inquit*) anulum quo ille regni atque imperii vires obfignare erat soli-
tus, traditum ab ipso mihi, reddo vobis. Cæterum quãquam nulla clades huic, qua
affecti sumus, par ab iratis diis excogitari potest: tamen magnitudinem rerum quas

egit, intuentibus, credere licet tantum virum deos accommodasse rebus humanis, quarum sorte completa, citò repeterent eum suæ stirpi. Proinde quoniam nihil aliud ex eo superest quàm quod semper ab immortalitate subducitur, corpori nominique quamprimum iusta soluamus, haud oblitum in qua vrbe, inter quos sumus, quali rege ac præfide spoliati. Tractandum est, commilitones, cogitadumque, vt victoriam partam inter hos de quibus parta est, obtinere possimus. Capite opus est. hocne vno an pluribus, in vestra potestate est. Illud scire debetis, militarem sine duce turbam corpus esse sine spiritu. Sextus mensis est ex quo Roxane prægnans est. Optamus vt marem enitatur: eius regnandiis approbantibus futurum, quando adoleuerit. Interim à quibus regi velitis, destinate.

PTOLEMAEI ORATIO,

ARGUMENTVM.

Ptolemæus procerum vnus, in eo concilio principum sententiam hæc dixit, se ab aliis dissentire qui dixissent. Hoc verò optimum sibi factum videri, vt senatus instituat ex principibus, quorum decretis administraretur imperium.

Digna proflus est soboles (*inquit*) quæ Macedonum imperet gèti, Roxanes vel Barsines filius, cuius nomen quoque in Europa dicere pigebit, maiore ex parte captiui. Cur Persas vicerimus, vt stirpi eorū seruiamus? quod iusti illi reges Darius & Xerxes tot millium agminibus tantisque classibus nequicquam petiuerunt. Mea sententia hæc est, vt sede Alexandri in regia posita, qui consiliis eius adhibebantur, coeant quoties in commune consulto opus fuerit: eoque quod maior pars eorum decreuerit, stetur: duces præfectique copiarum his pareant.

MELEAGRI ORATIO,

ARGUMENTVM.

In eodem principum confessu Meleager, seditiosus homo, turbulentam & inuidiæ in Perdiccam plenam sententiam dixit. Inuidebat enim homo leuis Perdicæ dignitati, quam Aristonus quidam in eodem concilio euexerat, quum Perdicæ principatum de creuerat. Hic igitur illam Aristoni sententiam labefactat, & multitudinem ad vim vocat. Denique popularem se præbet, ne quisquam principum dignitate antecellat.

Nec dii siuerint (*inquit*) vt Alexandri fortuna tantique regni fastigium in istos humeros ruat: homines certè non ferent. Nihil dico de nobilioribus quàm hic est, sed de viris tantum quibus inuitis nihil perpeti necesse est. Nec verò interest Roxanes filium, quãdocumque genitus erit, an Perdiccam regem habeatis, quum iste sub tutelæ specie regnum occupaturus sit. Itaque nemo ei rex placet nisi qui nondum natus est. Et in tanta omnium festinatione, non iusta modò, sed etiam necessaria, exactos menses solus expectat, & iam diuinat marem esse conceptum, quem vos dubitatis paratum esse, vel subdere? Si mediusfidius Alexander hunc nobis regem pro se reliquisset, id solum ex his quæ imperasset, non faciendum esse censeret. Quin igitur ad diripiendos thesauros discurretis: harum enim opum regiarum vtique populus est hæres.

*sequens oratio quæ prætermissa fuit, suo loco reponenda est
post Crateri orationem p. 166.*

ALEXANDRI ORATIO, Ex lib. vi.

ARGUMENTVM.

Alexander ex amicorū sententia cõpertū scelus intestinum, quo penè oppressus fuerat, ad cõcionē defert, tum vt secunda multitudinis voluntate quæstio in cõiuratos exerceatur: tum etiã quia illustres sunt, vt illis apud exercitum inuidiam cõflet, à se verò auertat si in eos acerbè animaduertat. Hæc igitur oratio primùm querelã habet indignissimi facinoris comparati à reis coniurationis. Post inuehitur præcipuè in eum quæ sibi patefactum scelus silentio texerat & fouerat: eumque eiusdem insinuat criminis.

Penè (*inquit*) milites paucorū hominū scelere vobis ereptum. Deum prouidetiã & misericordia viuo: conspectusque vester venerabilis cogit vt vehementius parricidis irasceret: quoniam spiritus, imò vitæ meæ, vnus fructus est, tot fortissimis viris de me optimè meritis referre adhuc gratiam posse. *Interrupt orationem militū gemitus, obor-*

taeque sunt omnibus lacrymae. Tum rex inquit, Quanto maiorē in animis vestris motū excitabo quū tanti sceleris autores ostendero, quorū mētionē adhuc reformido, & tāquā salui esse possint, nominibus abstineo? Sed vincenda est memoria pristinae charitatis, & coniuratio impiorū civiū detegenda. Quomodo autē tantum nefas sileā? Parmenio illa aetate, tot meis, tot parētis mei meritis deuinctus, omnīū nobis amicorū vetustissimus, ducē tanto sceleri se praebeat. Minister eius Philotas Leucolaū & Demetriū, & hunc Dymnū cuius corpus aspicitis, ceterosq; eius amicitiae comites in caput meū subornauit. *Fremtus undique indignatium querentiū* que tota concione obstrepebat, *qualis solet esse multitudinis, et maxime militaris, ubi aut studio agitur aut ira.* Nicomachus deinde et Meron et Ceballinus producti, quae quisque detulerat, exponunt. Nullius eorū indicio Philotas in participes sceleris destinabatur. Itaque indignatione pressa, vox indicum silētio excepta est. Tum rex, *Qualis (inquit) ergo animi vobis videtur, qui huius rei delatum iudicium idipsum suppressit?* quod non fuisse vanū, Dymni exitus declarat. Incertam rem deferens, tormenta non timuit. Ceballinus ne momentum quidem temporis distulit exonerare se, ut eō ubi lauabar irrumperet. Philotas solus nihil timuit, nihil credidit. O magni animi virum! Ille regis periculo quum moneretur, vultum non mutaret: indicem tantae rei sollicitus non audiret? Subest nimirum silentio facinus, & auida spes regni praecipitem animum ad vltimum nefas inpulit. Pater Mediae praest: ipse apud multos copiarum duces meis praepotens viribus, maiora quā capit, sperat. Orbitalas quoq; mea, quod sine liberis sum, spernitur. sed errat Philotas. In vobis liberos, parētes, confanguineos habeo. vobis saluis orbis esse non possum. *Epistolam deinde Parmenionis interceptam, quam ad filios Nicanorem et Philotam scripserat, recitat, haud sane iudicium grauioris consilii ferentem. Nanque summa eius haec erat,* Primūm vestri curam agite, deinde vestrarum: sic enim quae destinavimus, faciemus. *Adiecitque rex, sic esse scriptam, ut siue ad filios peruenisset, a conscis possēt intelligi: siue intercepta esset, falleret ignaros.* Atenim Dymnus quum ceteros participes sceleris indicaret, Philotam non nominauit. Hoc quidem illius non innocentiae, sed potētiae iudiciū est, quod sic ab iis timetur etiā à quibus prodi potest, ut dum de se fateantur, illum tamē celent. Ceterum Philotam ipsius indicat vita. Hic Amyntae qui mihi consobrinus fuit, & in Macedonia capiti meo impias comparauit insidias, socium se & consciū adiunxit. Hic Attalo, quo grauiorem inimicū non habui, sororem suam in matrimonium dedit. Hic, quum scripsssem ei pro iure tam familiaris vsus atque amicitiae, qualis fors edita esset Iouis Ammonis oraculo, sustinuit scribere mihi, se quidem gratulari quod in numerum deorum receptus essem, ceterum misereri eorum quibus viuendum esset sub eo qui modum hominis excederet. Haec sunt animi etiam pridem alienati à me, & inuidētis gloriae meae indicia: quae equidem milites, quandiu licuit, in animo meo pressi. Videbar enim mihi partem viscerū meorum abrumpere, si in quos tam magna contuleram, viliores mihi facerem. Sed iam non verba puniēda sunt, linguae temeritas peruenit ad gladios. Hos (si mihi creditis) Philotas in me acuit: si ipsum dimiserō, quō me conferam milites: cui caput meum credam? Equitatuī, optimae exercitus parti, principibus nobilissimae iuuentutis vnum praefeci: salutem, spem, victoriam meam fidei eius tutelaeque commisi: patrem in idē fastigium, in quo me ipsi posuistis, admouī. Mediam, qua nulla opulentior regio est, tot civium sociorūque millia impērio eius ditionique subieci. Vnde praesidium petieram, periculum existit. Quam feliciter in acie occidissē potius hostis praeda, quā civis victima. Nunc seruatus ex periculis quae sola timui, in haec incidi quae timere non debui. Soletis identidem à me milites petere ut saluti meae parcam. Ipsi mihi praestare potestis quod suadetis ut faciā. Ad vestras manus, ad vestra arma confugio: inuitis vobis saluus esse nolo, volentibus nō possum nisi vindicor.

q.iii.

DIADV MENI OKATIO

A R G V M E N T V M

Excipit patris orationem Diadumenus per adoptionem Accuratus

Ex Iulii Capitolini Albino.

CLODII ALBINI ORATIO.

ARGUMENTVM.

Codius Albinus præerat Romanis legionibus in Britannia, imperante Roma Commodo. De huius Comodi morte quum falsus nuntius ad exercitum venisset, essetque ab eo Albinus Cæsar appellatus, sed aduersarios haberet potentes, hanc habuit concionem apud exercitum: qua rem integram & reip. gubernacula senatus referuari ac permitti ostendit oportere: siue quia ita ipse sentiret, siue (quod est vero similis) quia sibi eam commendationem & suffragationem futuram sperabat ad imperium potiundum.

Si senatus suum illud vetus haberet imperium, nec in vnius potestate res tanta consisteret, non ad Vitellios, neque ad Neronos, neque ad Domitianos publica fata venissent: in imperio consulari nostræ illæ gentes Cæioniorum, Albinorum, Posthumiorum: de quibus patres vestri (qui & ipsi ab auis suis audierat) multa didicerunt. Et ceteræ Africam Romano imperio senatus adunxit: Galliam senatus subegit, & Hispanias: orientalesque populis senatus dedit leges. Parthos tentauit senatus: & subegisset, nisi tam avarum principem Romano exercitui fortuna reipublicæ tunc dedisset. Britannias Cæsar subegit, ceteræ senator, nondum tamen dictator. Hic ipse Commodus quanto melior fuisse si timuisset senatum? Et vsque ad Neronem quidem senatus autoritas valuit, qui sordidum & impurum principem damnare non timuit, quum sententiæ in eum dictæ sunt qui vitæ necisque potestatem atque imperium tunc tenebat. Quare commilitones, ego Cæsarem nomen quod mihi Commodus detulit, nolo: dii faxint ut ne alii quidem velint. Senatus imperet, præuincias diuidat: senatus nos cōsules faciat. Et quid dico senatus: vos ipsi & patres vestri eritis enim ipsi senatores.

Ex A Elii Lampridii Diadumeno.

MACRINI ORATIO.

ARGUMENTVM.

Romani Antoninorum nomen venerabantur, & inuiti in alterius verba ab hoc nomine alieni iurabant. Quum igitur Bassiani Antonini mors esset allata, qui hoc nomine erat populo charissimus, & penes quem antea summa rerum fuerat, summum dolore ex ea cepit multitudo. Macrinus id temporis imperator, qui ex eo genere & nomine non esset, & tamen filio imperium tradere cuperet, cōcionem statim habuit: ad eam filium produxit: quem ut ei commendaret, Antoninum eum nuncupauit, cui iam tum imperium illis modò libentibus desponderet, quod speraret propagatione augusti illius nominis chariorem eum illis futurum. Addit de amplissimo donatiuo, quod se representare, & idem in posterum prodere velle dicit.

Videtis commilitones, & me ætatis prouectæ, & Diadumenum puerum: quem diu principem, si dii faueant, habebitis. Intelligo præterea desiderium ingens Antonini nominis apud vos manere: quare quoniam mihi per conditionem fragilitatis humanæ non multum superesse videtur ad vitam, hunc puerum Antoninum vobis autoribus nuncupo, diu vobis Antoninum representaturum. *Acclamatum, Macrine imperator, dii te seruent, Antonine Diadumene, dii te seruent. Antoninum diuum omnes rogamus. Iupiter optime maxime Macrino & Antonino uitam. Tu scis Iupiter, Macrinus uinci non potest: tu scis Iupiter, Macrinus uinci non potest. Antoninum habemus, omnia habemus. Antoninum nobis dii dederunt patrem: Antoninus dignus imperio. Macrinus imperator dixit, Habete igitur cōmilitones, pro imperio aureos ternos, pro Antonini nomine aureos quinos, & solitas promotiones, sed geminatas: dii faciant ut hæc sæpius fiant. Dabimus autem per cuncta quinquennia id quod hodie deputauimus.*

DIADVMENI ORATIO,

ARGUMENTVM.

Excipit patris orationem Diadumenus per adoptionem Antoninus dictus. Gratias

agit militibus & patris & suo nomine: se que nec officio nec promissis patris & largitioni
defuturum ostendit.

POST hoc ipse puerulus Diadumenus Antoninus imperator dixit, Gratias ago vobis commi-
litones quod me imperio donastis & nomine, siquidem dignos & me & patre meum
duxistis quos imperatores Romanos diceretis, & quibus committeretis rempub.
Et pater meus quidem curabit ne desit imperio: ego autem elaborabo ne desim nomini
Antoninorum. Scio enim me Pii, me Marci, me Veri suscepisse nomen, quibus satisfacere
perdifficile est. Interim tamen causa imperii, causa nominis, id omne quod pater, &
tantundem promitto, honoribus (ut venerandus Macrinus pater praesens promissis) du-
plicatis.

Ex AELII Lampridii Alex. Seueri.

ALEXANDRI SEVERI ORATIO,

ARGVMENTVM.

Alexander Seuerus in locum spurcissimi hominis Heliogabali (cuius etiam effugerat
insidias) a senatu & populo Romano fuit subrogatus. In eum quum verbis amplissimis
summos honores Romani concessissent, & Antonini praeterea venerando nomine or-
nassent, & senatus frequens conuenisset, gratias senatui egit hac oratione: quae quidem
licet faustis acclamationibus saepius interpellata sit, tamen oratio perpetua habenda est,
quum a proposito non discedat. Hic gratias agit collatorum honorum, quorum, ut gra-
uissimi illius nominis accepti, indignum se confitetur. Nomen enim illud amplissima
dignitatis in se minime quadrare, nec a se sustineri posse. Tamen daturum opera me ea
spes eos fallat. Appellationem vero Magni, quam illi senatus obtrudebat, constanter
repudiat.

GRATIAS vobis p. c. non nunc primum, sed & de caesareo nomine, & de vita seruata,
& augusti nomine addito, & de pontificatu maximo, & de tribunitia potestate, &
proconsulari imperio: quae omnia nouo exemplo vno die in me contulistis. Et
quum diceret, *acclamatum*, Haec suscepisti, Antonini nomen suscipi mereatur, senatus Antonini mereatur,
Antonine auguste dii te seruent, dii te Antoninum conseruent: moneta nomen Antonini reddatur. Tepla An-
toninorum Antoninus consecret. *Aurelius Alexander augustus*, Ne quaeso p. c. ne me ad hanc certami-
nis necessitate vocetis, ut ego cogar tanto nomini satisfacere, quum etiam hoc ipsum nome, li-
cet peregrinum, tamen graue videatur. Haec enim nomina insignia onerosa sunt. Quis e-
nim Ciceronem diceret mutum: quis indoctum Varronem: quis impium Metellum? Et (ut hoc
dii auertant) quis non aequitatem nomina ferat digerentem in clarissimam spem digni-
tatum? *Item acclamata quae supra.* *Item imperator dixit*, Antoninorum nomen (vel iam
numen potius) quale fuerit meminit vestra clementia. si pietatem, quid Pio sanctius: si
doctrinam, quid Marco prudentius: si innocentiam, quid Vero simplicius: si fortitudi-
nem, quid Bassiano fortius? Nam nunc Commodi meminisse nolo, qui hoc ipso dete-
rior fuit quod cum illis moribus Antonini nomen obtinuit. Diadumenus autem nec
tempus habuit, nec aetatem, & arte patris hoc nomen incurrit. *Item acclamatum ut supra.* *Item*
imperator dixit, Nuper certe p. c. meministis, quum ille omnium non solum bipedum, sed
etiam quadrupedum spurcissimus, Antonini nomen praeferebat, & in turpitudine atque luxu-
ria Neronis, Vitellios, & Commodos vinceret, qui gemitus omnium fuerint, quum per
populi & honestorum coronas vna vox esset, hunc non rite Antoninum dici, & per hanc
pestem tantum violari nomen. *Et quum diceret, acclamatum est*, Dii mala prohibeant. Haec te im-
perante non timemus, de his te duce securi sumus. Vicisti vitia, vicisti crimina, vicisti dedecora, Antonini no-
men ornavisti: certi sumus, bene praesumimus, nos te & a pueritia probauimus & nunc probamus. *Item im-
perator*, Neque ego p. c. idcirco timeo istud venerabile omnibus nomen accipere, quod
verear ne in hac vitia delabatur vita, aut quod nominis pudeat: sed primum displicet a-
liena familiae nomen assumere, deinde quod grauari me credo. *Et quum haec diceret, accla-
matum est ut supra.* *Item dixit*, Si enim Antonini nomen accipio, possum & Traiani, possum
& Titi, possum & Vespasiani: & quum diceret *acclamatum est*, Quomodo augustus, sic & Antoninus.
Tunc imperator, Video p. c. quid vos moueat ad hoc nobis addendum. Augustus primus;

primus est autor imperii, & in eius omnes velut quadam adoptione aut iure hæreditario succedimus. Antonini ipsi augusti dicti sunt. Antoninus idem Pius Marcum & item Verum iure adoptionis vocavit: Commodus autem hæreditarium fuit, susceptum Diadumeno, affectatū in Bassiano, ridiculū in Aurelio. *Et qui diceret, acclamatum est, Alexander auguste, dii te seruent verecundia tua, prudentia tua, innocentia tua, castitati tuae. Hinc intelligitur qualis futurus sis: hinc probaturus. Tu facies ut senatus bene principes eligat, tu facies optimum esse iudicium senatus. Alexander auguste dii te seruent. Tempora Antoninorum Alexander augustus dedit. Cæsar noster, augustus noster, imperator noster, dii te seruent. Vincas, valeas, multis annis imperes. Alexander imperator dixit. Intelligo p. c. me obtinuisse quod volui, & id acceptum refero, plurimas gratias & agens & habens, enifurus ut & hoc nomen quod in imperium detulimus, tale sit ut ab aliis desideretur, & bonis vestra pietatis iudicii offeratur. Post hæc acclamatum est, Magne Alexander, dii te seruent. si Antonini nomen repudiasti, Magni prænomen suscipe. Magne Alexander dii te seruent. Et quum sapius dicerent, Alexander augustus ait, Facilius fuit p. c. ut Antoninorum nomen acciperem: aliquid enim vel affinitati deferrem, vel confortio nominis imperialis. Magni verò nomen cur accipitur? quid enim iam magnum feci: quum id Alexander post magna gesta, Pompeius verò post magnos triumphos acceperit. Quiescere igitur venerandi patres, & vos ipsi magnifici vnū me de vobis esse cefere potius quàm Magni nomen ingerite. Post hæc acclamatum est, Aureli Alexander auguste, dii te seruent, & reliqua ex more.*

EIVSDEM ALEX. ORATIO.

ARGUMENTVM.

Alexander Severus expeditionem Persicam parans, quum Antiochiam venisset, & dissolutam militarem disciplinam inuenisset, & nonnullorum militū flagitiosam molliem comperisset, vinculis eos coercere statuit. Id quum iniquo animo multitudo ferret, concionem habuit hanc, qua grauius increpauit eam licentiam, & seueram disciplinam sibi in militia placere ostendit. Inuectus est vehementer in frugalitatis & modestiæ deprauationem. Ibi exasperata concio admurmurauit atque alloquuta est. Ille austerius etiam & acrius quàm antea obiurgauit, minasque obiurgationi addidit. Quibus quum non reprimeretur illorum ferocia, sed ingrauesceret potius, exautoratum exercitum dimisit.

Commilitones (si tamen ista vobis quæ a vestris facta sunt displicent) disciplina maiorum temp. tenet: quæ si dilabatur, & nomen Romanum & imperium amittimus. Neque enim sub nobis ista facienda sunt quæ sub impura illa bestia nuper facta sunt. Milites Romani, vestri focii, mei contubernales & commilitones, amat, potant, lauant, Græcorum more etiam quidam se instituunt: hoc ego diutius feram: & non eos capitali dedam supplicio: *Tumulus post hoc ortus est. Atque iterum, Qui in concione estis, vocem in bello contra hostem, non contra imperatorem vestrum necessariam emittite: certè campi ductores vestri hanc vos docuerunt cõtra Sarmatas & Germanos ac Persas emittere, non contra eum qui acceptam à prouincialibus annonam, qui vestem, qui stipendia vobis attribuit. Continete igitur vocem truculentam, campo ac bellis necessariam, ne vos hodie omnes vno ore atque vna voce Quirites dimittam: & incertum, an Quirites. Non enim digni estis qui vel Romanæ plebis sitis, si ius Romanum non agnoscitis. Et quum uehementius fremerent ac ferro quoque minarentur, Deponite (inquit) dextras contra hostem erigendas, si fortes estis: me enim ista non terrent. Si enim vnum hominem occideritis, nõ nobis deerit resp. non senatus, non p. r. qui de vobis vindicet. Quum nihilominus post ista fremerent, exclamauit, Quirites discedite, atque arma deponite.*

EIVSDEM ALEX. ORATIO.

ARGUMENTVM.

Alexander Severus potitus victoria aduersus Persas in urbem rediit, & in senatu res bello gestas exposuit. victoriam gratulatus est, belli difficultatem demonstrauit, comoda victoriæ docuit, supplicationem diis ob eam victoriam sua sententia decreuit.

Persas p. c. vicimus. Longa eloquentia opus non est, tantum scire debetis quæ illorum arma fuerint, qui apparatus. Iam primum elephantum septingenti, iidemque turris,

cum sagittariis & onere sagittarū. Ex his trecentos cepimus, ducenti interfecti iacent, decem & octo perduximus. Falcati currus mille: sed adducere interfectorum animalium currus ducentos potuimus: sed id quia & fingi poterat, facere superfedimus. Centum & viginti millia equitum fudimus: cataphractarios, quos illi clibanarios vocant, decem millia in bello interemimus: eorum armis nostros armauimus. Multos Persarum cepimus eosdemque vendidimus. Terras Interamnanas, Mesopotamiæ scilicet, neglectas ab impura illa bellua recepimus. Artaxerxem potentissimum regem tam re quam nomine, fufum fugauimus, ita vt eum terra Persarum fugientem videret: & quæ ducta fuerant quorundam signa nostrorum, eà rex ipse signis effugerit relictis. Hæc sunt p.c. gesta. Eloquentia opus non est: milites diuites redeunt, laborem in victoria nemo sentit. Vestrum est supplicationem decernere, ne diis videamur ingrati.

Ex Iulii Capitolini Maximini duobus.

MAXIMINI ORATIO,

ARGUMENTVM.

Quum omnium arderent in Maximinum odia ob eius immanitatem & truculentiam, defecissentque ab eo Afri, qui imperatores duos Gordianos crearat, & eorum factum Romanus senatus confirmasset, & senatusconsulto hostem Maximinum iudicasset, essetque id ad Maximinum in castra perlatum, eo nuntio percussus & penè exanimatus est: & diu excruciat, tandem conuocato exercitu, concionem hanc habuit agresti homine dignam. Hic cõqueritur iniurias senatus, inuehitur in perfidiam omnium, & ad ius suum repetendum exercitum conatur animare.

Commilitones, rem notam vobis proferimus. Afri fidem fregerunt. quid dicam fregerunt? nam quando tenuerunt: Gordianus, senex debilis & morti vicinus, sumpsit imperium. Sanctissimi autem p.c. illi, qui & Romulum & Cæsarem occiderunt, me hostem iudicauerunt, quum pro his pugnarem & ipsis vincerem: nec solum me, sed etiam vos & omnes qui mecum sunt, quos & senatui acceptissimos, & sibi aduersissimos esse credebant. Quare factum est (vt diximus) vt Gordianum adolescentulum principem peteret, qui statim factus est. Nec prius permisi sunt ad palatium stipati armatis ire quam nepotem Gordiani cæsaris nomine nuncuparent, & Gordianos patrem ac filium, angustos vocarent. Ergo si viri estis, si vires habetis, eamus contra senatum & Afros: quorum omnium bona vos habebitis.

Ex Iulii Capitolini Gordianis tribus.

MAVRICII AFRI ORATIO,

ARGUMENTVM.

Quum vexaret Africam prouinciam impotentes & crudeles quæstores crudelissimi imperatoris Maximini, Afri quendam eorum facto impetu oppresserunt, & quemadmodum Maximini vim propulsarent, seque penitus liberarent, consilium inierunt. In eorum concilio hic Mauricius sententiam dixit, ita libertatem recuperari posse, si ad virum singularem Gordianum imperium detulissent. Causas affert, quia expediat id & facile sit.

Gratias habeo diis immortalibus, ciues, quod occasionem dederunt, & quidem necessariam, prouidendi nobis contra hominem furiosissimum Maximinum. Nos enim qui procuratorem eius moribus & vita cõsimilem occidimus, nisi facto imperatore salui esse non possumus. Quocirca si placet quoniam non longè est nobilissimus vir proconsul cum filio consulari legato, quorum vtrique mortem pestis illa est mihi nata, sublata de vexillis purpura, imperatores eos dicemus, adhibitisque insignibus, Romano iure firmabimus.

ORATIONES
MAXIMINI ORATIO.
ARGUMENTVM.

Huius orationis argumentū est idem quod eius quæ est ab hac tertia. Est enim oratio Maximini imperium retinere conantis quod consensus Romanorum & prouinciarum aliquot eripere volebat.

Sacri commilitones, imò etiam mei consecranei, & quorum mecum plerique vere militatis, dum nos in Germania Romanam defendimus maiestatem, dum nos Illyricum à barbaris vindicamus, Afri fidem Punicam præstiterunt. Nam duos nobis Gordianos (quorum alter senio ita affectus est vt non possit assurgere, alter ita luxurie perditus vt debilitatem habeat pro senectute) imperatores fecerunt. Et nec hoc parū est, sed factum Afrorum nobilis ille senatus agnouit, & pro quorum liberis arma portamus, hi contra nos xx viros statuerunt, & omnes velut contra hostes sententias protulerunt. Quinimo agite vt viros decet. Properandum est ad urbem. Nam & xx viri consulares contra nos lecti sunt, quibus resistendum est nobis fortiter agētib; vobis feliciter dimicantibus.

Ex Iulii Capitolini Maximo & Balbino.

SENATORIS CUIVS DAM ORATIO.
ARGUMENTVM.

Aduentabat ad urbem Maximinus fremens & vindicta ardens, vlturus proscriptionem suam & abdicationem imperii. Patres consultabant cum de aliis tum de illius impetu refutando. Hic senator, cuius nomen non est proditum, sententiā dixit qua conatus est mentes eorum ab omni alia cogitatione ad hanc vnā de depulsione tanti periculi traducere.

Minora nos sollicitant, & propè aniles res feruentissimo tempore tractamus in curia. Quid enim opus est de restitutione templorū, de basilicæ ornatu, de thermis Titianis, de exadificatione amphitheatri agere, quum immineat Maximinus, quem hostem mecum antè dixistis: Gordiani duo, in quibus præsidium fuerat, interempti sint, neque in præsentī vllum sit auxilium quo respirare possimus: Agite igitur p. c. principes dicite, (Quid moramini) ne dū singulatim pertimescitis, in timore potius quàm in virtute opprimamini.

VECTII SABINI ORATIO.

ARGUMENTVM.

Eiusdem argumenti cuius & superior. Nam quum quasi quoddam interregnum Roma esset, & sententiæ in senatu essent de imperio alicui tradendo, quumque periculi magnitudo tum vt diligenter, tum vt citò prouideretur postularet, Vectius hic rogato vt sibi dicere liceret, ostēdit & quid res postularet, & quid ipse sentiret. Maturato enim opus esse, & primo quoque tempore succurrendū esse reip. Se autem iis autorem esse vt duo creentur principes, vnus qui urbanam rem, alter qui bellicam administraret.

Scio p. c. hanc rebus nouis inesse oportere constantiam, vt rapienda sint consilia nõ quærenda: verbis quinetiam plurimis abstinendum sit atque sententiis, vbi res perurgent. Cervices suas quisque respiciat, vxorem ac liberos cogitet, auitas patriasque fortunas: quibus omnibus imminet Maximinus, natura furiosus, truculentus, immanis: causa verò (vt sibi videtur) satis iusta, truculentior. Ille quadrato agmine, castris vbiq; positus, ad urbem tendit: vos sedendo & consultando diem teritis. Longa oratione opus non est: faciendus est imperator, imò faciēdi sunt principes: vnus qui res domesticas, alter qui bellicas curet: vnus qui in vrbe resideat, alter qui obuiam cum exercitu latronib; pergat. Ego principes dico, vos firmate, si placet: sin minus, meliores ostendite. Maximū igitur atque Balbinū: quorū vnus in re militari tātus est vt nobilitatem generis splendore virtutis allegerit: alter ita clarus nobilitate est, vt & morum lenitate reip. sit necessarius, & vitæ sanctimonia, quam à prima ætate in studiis semper ac literis tenuit. Habetis

sententiam p. c. mihi fortasse periculosiorem quam vobis: sed nec vobis satis tutam, si non aut alios aut hos principes feceritis.

Ex Trebellii Poll. Valeriano patre & filio.

DECII ORATIO.

ARGVMENTVM.

Summo consensu senatus Valerianum censorem creat. Eum honorem quum ei renūtiaret ex senatusconsulto consul Decius, hac ad eum oratione est vsus, qua gratulatus est ei tantum honorem, & tantum de eius sinceritate & integritate iudicium senatus, atque ei ius censoriae potestatis omne exposuit.

Felicem te (*inquit*) Valeriane senatus sententia, imò animis atque pectoribus. Totius orbis humani suscipe censuram quam tibi detulit Romana resp. quam solus mereris, iudicaturus de moribus nostris. Tu aestimabis qui manere in curia debeant, tu equestrem ordinem in antiquum statum rediges, tu censibus modum pones, tu vestigalia firmabis, diuides statum, respublicas recensebis: tibi legum scribendarum aut ritas dabitur, tibi de ordinibus militum iudicandum est: tu arma respicies, tu de nostro palatio, tu de iudiciis, tu de praefectis eminentissimis iudicabis. Excepto denique praefecto urbis Romae, exceptis c o s s. ordinariis, & sacrorum rege ac maxima virgine Vestaliū, (si tamen incorrupta permanebit) de omnibus sententias feres. Laborabunt autem etiā illi vt tibi placeant de quibus non potes iudicare.

VALERIANI AD DECIVM RESPONSIO,

Quæso sanctissime imperator, ne ad hanc me necessitatem alliges, vt ego iudicem de populo, de militibus, de senatu, de omni penitus orbe, iudiciis & tribunis, ac ducibus. Hæc sunt propter quæ augustum nomen tenetis: apud vos censura desedit, non potest hoc implere priuatus. Veniam igitur eius honoris peto, cui vita impar est confidentia, cui tempora sic repugnant vt censuram hominum natura non quærat.

Ex Trebellii Poll. triginta tyrannis.

BALISTAE ORATIO.

ARGVMENTVM.

Eligendus erat imperator qui in locum Valeriani in vincula abducti & Gallieni extrusi succederet. Et quoniam Macrianus prudentia, nobilitate, opibus facile antestaret, suadet ei hac oratiuncula Balista vt imperium capefferet.

MEa ætas & professio & voluntas longè ab imperio absunt, & ego (quod negare non possum) bonum principem quæro. Sed quis tandem est qui Valeriani locum possit implere, nisi talis qualis tu es ô Macriane, fortis, constans, integer, probatus in rep. & (quod maximè ad imperium pertinet) diues? Arripe igitur locum meritis tuis debitum: me profectò quoadiuuabis, vt uteris tu cum rep. Tantum bene agas, vt te Romanus orbis factum principem gaudeat.

MACRIANI AD BAL. RESPONSIO.

ARGVMENTVM.

Respondet Balistæ Macrianus. Quominus imperium suscipiat, vt is suadebat, excusat ætatem, imbecillitatem, mutatum vitæ genus. Suadet vt firma & vigenti ætate edantur plures qui munia imperatoria strenuè exequi possint.

Fateor Balista, imperium prudenti non frustra est. Volo enim reip. subuenire, atque illam pestem à legum gubernaculis dimouere: sed non hoc in me ætatis est. Senex sum, ad exemplum equitare non possum. Lauandum est mihi frequentius, edendū

delicatus: diuitiæ me iam dudum ab vsu militiæ retraxerunt. Iuuenes aliqui sunt quære-
di, nec vnus, sed duo vel tres fortissimi, qui ex diuersis partibus orbis Rom. rem publicâ
restituunt, quam Valerianus fato, Gallienus vitæ suæ genere perdidit. *Post*
hæc intellexit eum Balista sic agere ut de suis filiis uideretur cogitare, atque adeo sic aggressus est,
Prudentiæ tuæ rem publicam tradimus. Da igitur liberos tuos Macrianum & Quietum
fortissimos iuuenes, olim tribunos à Valeriano factos: qui Gallieno imperante, quod
boni sunt, salui esse nō possunt. *Tunc ille ubi intellectum se esse comperit,* Do (inquit) manus, de
meo stipendium militi duplex daturus: tu tantum præfecti mihi studium, & annonam
in necessariis locis præbe. Iam ego faxim vt Gallienus fordidissimus foeminarū omniū,
duces sui parentis intelligat.

Orationes ex Amm. Marcellino collectæ.

CONSTANTII ORATIO.

ARGUMENTVM.

Constantius imperator bellum pro Gallorum defensione Germanis, qui hinc Alemā-
ni vocantur, intulerat. Si non tam cæsaris viribus quam superstitione territi miserunt
qui bellum deprecarentur, veniam iniuriarum posceret, pacem æquis conditionibus pe-
teret. Inclinabatur animus cæsaris in pacem æquam, sed verebatur ne ea parum grata
esset exercitui, qui iam magnam spem victoriæ conceperat si flumen traiecisset. Idcirco
exercitum conuocauit, orationemque hanc in eo habuit, & auiditatem illam pugnae
concedendo, & aliqua ex parte assentiendo, multumque militibus tribuendo, sedauit:
pacisque utilitatem, ancipites martis casus bellique crudeles exitus proposuit.

Nemo, quæso, miretur, si post exudatos labores itinerum longos, congestosque af-
fatim commeatu, fiducia vestri ductante, barbaricos pagos aduentas, velut mu-
tato repente consilio ad placidiora diuertit. Pro suo enim loco & animo quisque
vestrum reputans, id inuenit verum quod miles vbique (licet membris vigentibus fir-
mus) se solum vitamque propriam circumspicit & defendit, imperator verò, officiorū,
dum æquus omnibus alienæ custodiam salutis, nihil non ad sui spectare tutelam rationes po-
pulorum cognoscit, & remedia cuncta quæ status negotiorum admittit, arripere debet
alacriter secunda numinis voluntate delata. Vt in breue igitur conferam, & ostendam
qua ex causa omnes vos simul adesse volui, commilitones mei fidissimi, accipite æquis
auribus quæ succinctius explicabo: veritatis enim sermo est simplex. Arduos vestrae glo-
riæ gradus, quos fama per plagarum quoque accolæ extremarum diffundit, excellenter
accrescens, Alemanorum reges & populi formidantes, per oratores quos videris, summis-
sis ceruicibus concessionem præteritorum poscunt & pacem: quam vt cunctator & cau-
tus vtiliumque monitor, si vestra voluntas adest, tribui debere censeo, multa cōtemplas.
Primo vt martis ambigua declinentur, dein vt auxiliares pro aduersariis asciscamus,
quod pollicentur: tum autem, vt incruenti mitigemus ferociæ flatus perniciosos sæpe
prouinciis: postremo id reputantes quod non ille hostis vincitur solus qui cadit in acie,
pondere armorum oppressus & virium, sed multo tutius etiam tuba tacente, sub iugo
mittitur voluntarius, qui sentit expertus, nec fortitudinem in rebelles, nec lenitatem in
supplices animos deesse. In summa, tanquā arbitros vos quid suadetis opperier, vt prin-
ceps tranquillus temperanter adhibere modum allapsa felicitate decernens. Non enim
inertiæ sed modestiæ humanitatiueque (michi credite) hoc quod rectè consultum est assi-
gnabitur.

EIVSDEM ORATIO,

ARGUMENTVM.

Infecti erant Gallis perpetuis incursionibus & vexationibus finitimi barbari, & in dies
ingrauescebat id malum. Ea res sollicitum habebat Constantium cupidiorē pacis quam
belli

belli hominem. Qui quòd manus sibi onus imponi videret quàm quod sustinere se posse consideret, eã iniit sui subleuãdi rationem, vt Iulianum fratrem patruelem ascisceret in societatem imperii. Ea cooptatio vt rata haberetur, aduocauit præfectos militares, & in eorum conuentu hæc concionatus est. Docet quæ sibi causa sit illius allegendi, & eã illis probare conatur. Neque enim à se solo res commodè geri posse, nec ad eam societatem adiungi quenquam hoc digniorem. Quocirca Iulianum ipsum multis ornat laudibus: ad quem, accepta concionis comprobatione, orationem conuertit, eum cooptat, insignia imperii imponit, laudat, hortatur, imperium & rem Romanam illi commendat, imperatoris officia in militia & in acie exponit.

QVia igitur vestrum quoque fauorem adesse fremitus indicat lætus, adulescens vigoris tranquilli, cuius temperati mores imitandi sunt potius quàm prædicandi, ad honorem properatum exurgat: cuius præclaram indolem bonis artibus institutam hoc ipso plenè videor exposuisse quòd elegi. Ego eum præsentem nuru Dei cælestis amictu principali velabo. *Dixit, moxque indutum auita purpura Iulianum, et cesarem cum exercitus gaudio declaratum, his alloquitur contractiore uultu submæstum,* Recepisti primæuus originis tuæ splendidum florem, amantissime mihi omnium frater: aucta gloria mea confiteor, qui iustus in deferenda superiori potestate nobilitati mihi propinquæ, quàm ipsa potestate videor esse sublimis. Adesto igitur laborum periculorumque particeps, & tutelam ministerii suscipe Galliarum, omni beneficentia partes leuaturus affictas, & si hostibus congredi sit necesse, fixo gradu consiste inter signiferos ipsos, audendi in tempore confideratus hortator, pugnantes accendens præuòdo cautissimè, turbatosque subsidiis succièns, modestè increpans desides, verissimus testis adfuturus industriis & ignauis. Proin virgente rei magnitudine, perge vir fortis ducturus viros itidem fortes. Aderimus nobis vicissim amoris robusta constantia, militabimus simul, vnà orbem pacatum (deus modò velit quod oramus) pari moderatione pietatèque rectori. Mecum vbique videberis præfens, & ego tibi quodcunque acturo non deero. Ad summa mihi propera sociis omnium votis, velut assignatam tibi ab ipsa rep. stationem cura peruigili defensusurus.

IULIANI ORATIO.

ARGVMENTVM.

Iulianus quicum Constantinus comunicauerat imperium, quum copias aduersus Germanos duceret, iamque in conspectu esset hostis, & plurimum referret ad rem bene gerendam, vt miles integer in aciem descenderet, præsertim in ea locorum asperitate & cæli intemperie, neque eius rei facultas superioribus aliquot diebus esset iis data, conuocato exercitu suadet hoc loco, vt castris communitis, ad requiescendum & ad curanda corpora spatium omnes sumant. Principium positum est in auertenda suspitione ignauitæ: reliqua oratio habet expositionem consilii.

VRget ratio salutis tuendæ communis (vt parcissimè dicam) non iacentis animi cæsarem vos hortari & orare commilitones mei, vt adulta robustaque virtute cõfisi, cautiorem viam potius eligamus ad toleranda vel ad depellenda quæ sperantur, quàm præproperam & ancipitem. Vt enim in periculis virtutem impigram esse cõuenit & audacem, ita quum res postulat, regibilem & consultam. Quod igitur censeo, si arbitrium affuerit vestrum, iustaque sustinet indignatio, paucis absoluã. Iam dies in meridiam vergit: lassitudine nos itineris fatigatos scrupulosi tramites excipient & obscuri, nox senescente luna nullis sideribus adiuuanda, terræ protinus æstu flagrantes, nullis aquarum subsidiis fultæ: quas si dederit quisquam commodè posse transire, ruëtibus hostiũ examiniibus post otium cibiq; refectionem & potus, quid nos agimus, quo vigore, inedia, siti, laboreque membris marcentibus occurramus? Ergo quoniam negotiis difficillimis sæpe dispositio tempestiua prospexit, & statum nutantium rerum recto consilio in bonam partem accepto aliquoties diuina remedia repararunt, hinc quæso vallo fossaque circumdati, diuuis vigiliis quiescamus: somnòque & victu congruis potiti pro tempore (pace Dei sit dictum) triumphaturas aquilas & vexilla victricia, primo lucis moueamus exordio.

ORATIONES
CONSTANTII ORATIO.

ARGUMENTVM.

Partis de ferocissimis hostium aliquot victoriis, Constantius Cæsar statuit domum reuerti: & quoniam missio paulo post esset facienda, placuit, dum coactæ adhuc erant copiæ, illis eas victorias gratulari. Itaque conuocatis omnibus, hanc ibi concionem habuit. In hac militem laudat: hostes, vel subactos vel fractos vel repressos saltem perhibet, & quas de iis victorias reportent. Postremò quas utilitates & quantas de iis victoriis percipiant, ostendit: quadruplex enim commodum ad eos redire probat.

Hortatur recordatio rerum gloriose gestarum omni iucunditate viris fortibus gratior, admodum verecundè replicare quæ diuinitus delata sorte vincendi, & ante prælia, & in ipso correximus feruore pugnarum, Romanæ rei fidissimi defensores. Quid enim tam pulchrum tamque posteritatis memoriæ iusta ratione mandandū, quàm vt miles strenuè factis, ductor prudenter consultis exulter? Perfultabat Illyricum furor hostilis, absentiam nostram inanitate tumentis despiciens, dum Italos tueremur & Gallos: variisque discursibus vastabat extima limitum: nunc cauatis roboribus, aliquoties peragrans pedibus flumina, non congressibus nec armis fretus aut viribus, sed latrocinii assuetus occultis, astu & ludificandi varietate iam inde ab instituta gente, nostris quoque maioribus formidatus: quæ longius disparati, quæ ferri poterant tulimus, leuioribus iacturas efficacia ducum vetari posse sperantes. vbi verò per licentiam scandens in maius ad funestas prouinciarum clades erepsit & crebras, communitis aditibus Rhetis, tutelæque peruigili Galliarum securitate fundata, terrore nullo relicto post terga venimus in Pannoniam, vt placuit numini sempiterno, labentia firmaturi: cunctisque paratis (vt nostis) vere adulto egressi arripuimus negotiorum maximas moles: primùm ne struendo textis compagibus ponti telorum officeret multitudo: quo opera leui perfecto, visis terris hostilibus & calcatis, obstinatis ad mortem animis conatos resistere Sarmatas absque nostrorum dispendio strauimus, parique petulantia ruentes in agmina nobiliū legionum Quados Sarmatis adiumenta ferentes attriuimus. Qui post ærumnosa dispendia inter discursus & repugnandi minaces anhelitus, quid nostra valeat virtus experiri, manus ad dimicandum aptatas armorum abiecto munimine pone terga vinxerunt: restarèque solam salutem contemplantes in precibus, affusi sunt vestigiis augusti clementis, cuius prælia sæpe compererant exitus habuisse felices. His sequestratis, Limigantes quoque fortitudine superauimus pari: interfectisque pluribus, alios periculi declinatio adegit suffugia petere latebrarū palustrium. Hisque secundo finitis euentu, lenitatis tempus aderat tempestiuæ. Limigates ad loca migrare compulimus longè discreta, ne in perniciem nostrorum se commouere possent vltius: & pepercimus plurimis, & Zizaim præfecimus liberis, dicatum nobis futurum & fidum, plus æstimantes creare quàm afferre barbaris regem: hoc decore augente solennitatem, quòd iisdem quoque rector tributus, antehac electus est & acceptus. Quadruplex igitur præmium, quod vnus procinctus absoluit, nos quæsiuimus & resp. primò vltione parta de grassatoribus noxiis, deinde quot vobis abundè sufficient ex hostibus captiuis. His enim virtutem oportet esse contetam, quæ sudore quæsiuit & dexteris: nobis amplas facultates opum, quæ sunt magni thesauri, integra omnium patrimonia, nostri labores & fortitudo seruauerint. Hoc enim boni principis mēti, hoc successibus congruit prosperis. Postremò ego quoque hostilis vocabuli spoliū præ me fero, secundi Sarmatici cognomentum, quod vos vnum idemque sentientes mihi (ne sit arrogans dicere) merito tribuistis.

IULIANI ORATIO.

ARGUMENTVM.

Reuocabatur à Constantio exercitus Gallicanus, cui Iulianus præerat, quòd in oriente imminere & iam vexabant Romanum imperium Parthi. Id iniquo animo tulit Iulius, quòd iam tot confectis stipendiis in laboriosissimam militiam amandaretur, & plerique è sedibus patriis abstracti, in longinquas terras traherentur. Augebat eum dolo-

rem, quòd à Iuliano quem ferebant oculis omnes, acerbè diuelleretur. Iulianus hac cõ-
 cione eos placare est conatus, cum iis de causis, tum verò etiam quòd honorifica im-
 perii insignia repudiasset. Hic præclara facinora Germanicæ illius expeditionis effert
 laudibus, & quantum illorum virtuti acceptum ferat Romanum imperium, pauca per
 eandem assentationem loquutus, ostendit ita se rem militarem velle constituere vt
 præmia & honores virtuti, non alii dignitati decernantur & tribuantur. Hoc ille iure
 suo facere poterat, vtpote particeps imperii.

RE S ardua poscit & flagitat, propugnatores mei reique publicæ fortes & fidi, qui
 mecum pro statu prouinciarum vitam sapius obiecistis, quoniam cæsarem ve-
 strum firmo iudicio ad potestatum omnium culmen sustulistis, perstringere pau-
 ca summam, vt remedia permutatæ rei iusta colligantur & cauta. Vixdum adolescens
 specie tenus purpuratus (vt nostis) vestræ tutelæ nutu cælesti commissus, nunquam à
 proposito rectè viuèdi deiectus sum: vobiscum in omni labore perspicuus, quum disper-
 sa gentium confidètia, post ciuitatum excidia, peremptaque innumera hominum mil-
 lia, pauca quæ semiintegra sunt relicta, cladis immensitas persultaret. & retexere super-
 fluum puto quoties hyeme cruda rigentique cælo, quo tempore terræ ac maria opere
 martio vacant, indomitos antea cum iactura virium suarum repulimus Alemanno. Id
 sanè nec prætermitti est æquum nec taceri, quòd quum prope Argentoratum illu-
 disse ille beatissimus dies, vehens quodammodo Gallis perpetuam libertatem, inter con-
 fertissima tela me discurrente, vos vigore vsusque diuturnitate fundati, velut incitatos tor-
 rentes hostes abruptius inundantes, superastis ferro prostratos, vel fluminis profundo
 submersos, paucis relictis nostrorum, quorum exequias honestauimus celebri potius
 laude quàm luctu. Post quæ, opinor, tanta & talia nec posteritatem taciturnam de vestris
 in rempublicam meritis in gentibus cunctis, si plenè, quem altiore fastigio maiestatis or-
 nastis, virtute grauitateque, siquid aduersum ingruerit, defendatis. Vt autem rerum inte-
 ger ordo seruetur, præmiisque virorum fortium maneant incorrupta, nec honores am-
 bitio præripiat clandestina, id sub reuerenda consilii vestri facie statuo, vt neque ciuili-
 quisquam iudex nec militiæ rector, alio quodam præter merita suffragante ad potiorè
 veniat gradum, non sine detrimento pudoris eo qui pro quolibet petere tentauerit dis-
 cessuro.

IULIANI ORATIO.

ARGUMENTVM.

Cœperat inuidere Iuliano Constantius, & alienum ab eo animum habere, nec cum
 eo amplius, sed cum barbaris principibus sua communicare consilia. Suboluit Iuliano
 clandestinum aliquid agitari: inuestigauit, deprehendit barbarum quem sciebat à se esse
 auerso animo, & mali aliquid parare, & cum Constantio facere, vincendum curauit.
 Deinde optimum factu iudicauit occupare & munire prouincias, à quibus propè aber-
 rat. Sed nesciebat quàm firmos haberet animos militum. Explorandos simul sibi eos &
 confirmandos putauit. Ea re hanc apud eos concionè habuit, qua repetita præclare ge-
 storum memoria, & honorum quibus ab iis esset cumulatus: monet esse maturadū, vt
 prouincias firmis præfidiis teneant, neue colligendarum virium spatium hostibus lar-
 giantur. Quæ opus sunt, curæ sibi ea fore: in præsentia postulare vt militiæ sacramentum
 redintegretur.

Iamdudum tacita deliberatione vos æstimo, magni commilitones, rerum gestarum
 excitos amplitudine, hoc opperiri consilium, vt euentus qui sperantur, percipi pos-
 sint & præcaueri. Plus enim audire quàm loqui militem decet, actibus coalitum glo-
 riosis: nec alium spectatæ æquitatis sentire rectorem quàm eum qui & laudari dignè po-
 tuerit & probari. Vt igitur quæ proposui abiectis absoluam, aduertite oro beneuolè, quæ
 sermone breui percurram. Arbitrio Dei cælestis, vobis inter ipsa iuuentæ rudimenta
 permittens, irruptiones Alemannorum assiduas & Francorum, populandique iugem
 licentiam fregi, & vigore communi Romanis agminibus quoties libet Rhenum per-
 uium feci, contra rumorum fremitus gentiumque validarum violentos excursus stan-
 do immobilis, virtutis vestræ nimirum firmamento confisus. Et hæc laborum quos ex-

hausimus, Galliaē spectatrices post funera multa iacturāsque recreataē diuturnas & graues, posteritati per ætatum examina commendabunt. At nunc quum autoritate vestri iudicii, rerūque necessitate compulsus, ad augustum elatus sum culmen, Deo vobisque fautoribus, si fortuna coeptis adfuerit, altius affectabo maiora, id præ me ferens, quòd exercitui cuius æquitas armorūque claruit magnitudo, & domi moderatus visus sum & tranquillus, & in crebritate bellorum contra conspiratas gentium copias cōsideratus & cautus. Vt igitur aduersa præueniamus mentium societate iunctissima, sequimini viam consiliūque salutare, vt puto, quum integritas rerum intentioni nostræ voluntatiue respondeat: & dum maioribus vacant præsiidiis regiones Illyricæ, impræpedito cursu tendentes, Daciarum interim fines extimos occupemus, exinde quid agi oporteat bonis successibus instruendi: vtque est mos fidentium ducum, iuramento quæso concordiam spondere mansuram & fidem, operam nauaturo sedulam & solitam nequid agatur inconsultum & segne, & producturo, siquis exegerit, incorruptam conscientiam meam, quòd nihil voluntate præter ea quæ in commune conducunt, aggrediar aut tentabo. Illud sanè obtestor & rogo, obseruate ne impetu gliscentis ardoris in priuatorum damna quisquam vestrūm exiliat, id cogitans quòd ita nos illustrarunt hostium innumeræ strages, vt indemnitas prouinciarum & salus, exemplis virtutum perurgata.

CONSTANTII ORATIO.

ARGUMENTVM.

Ex illa Iuliani cautione & apparatu quem superiore concione habuimus, grauissima bella inter duos confortes imperii, Constantium & Iulianum, exarserunt. Nam quum se eo apparatu peti sensisset Constantius: ac post aperto Marte se oppugnari vidisset, contraxit exercitum. Verum id temporis incipiti malo premebatur. Urgebat enim ab occidente Iulianus, ab oriente rex Persarum. Hic tamen non ita multo post quam copias eduxerat, pedē retulit, & magno metu Cōstantiū liberauit. Is hoc expeditior, parabat se vt occurreret Iuliano. Quem vt validioribus viribus adoriretur, suorum sibi animos cōfirmandos censuit. Id hac concione effecit. Nam repetita commemoratione nefarii hominis, cui quum res maximas credidisset, is tamen se sceleratē gessisset, ad Iulianum venit, quem perfidia etiam illo sceleratiore ostendit. Queritur illius ingrati animū, scēdam proditionem, nefarios conatus: aduersus eum animos suorum conatur incendere: eisquē oprati exitus spem ostendit, quòd perfidos homines calamitosi exitus maneāt.

Solicitus semper nequid re leui vel verbo committā inculpatæ parū congruens honestati, vtque cautus nauigandi magister clauos pro fluctuum motu erigens vel inclinans, compellor nunc apud vos amantissimi viri cōfiteri meos errores, quin potius (si dici liceat verum) humanitatem quam credidi negotiis communibus profuturā. Proinde vt facilius sciri possit quæ sit huius cōciliū cōuocādi materia, accipite quæso æquis auribus & secundis. Gallum patruelem tempore quo confundendis rebus pertinaciter Magnentius inhærebat, quē obruere vestræ virtutes, potestate cæsaris sublimatum ad orientis præsidium misi. Qui quum à iustitia per multa visu relatuque nefaria defecisset, arbitrio punitus est legum. Atque vtinam hoc contenta esset inuidia, turbarum acerrima concitatrix: & angebat nos vna, sed secunda doloris præteriti recordatio. At nūc aliud accidit, ausim dicere præteritis mœstius, quod per fortitudinem nobis ingentem adiuuamenta cælestia coercebunt. Iulianus, quem dum circumfremescentes Illyricum nationes exteris oppugnatis, tuendis præfecimus Galliis, leuium confidentia præliorum, quæ cū Germanis gessit semermibus, vt vecors elatus, ascitis in societatem superbam auxiliariibus paucis, feritate spēque postrema ad perniciosam audaciam promptis in noxam publicam conspirauit, æquitate calcata, parente nutriceque orbis Romani: quam tumentes spiritus tanquam fauillas effecturam deinde, vt scelestè lætorum vlticem, & ipse expertus, & docente antiquitate facile credo. Quid igitur superest nisi vt turbinibus excitis occurramus, subcrefcentis rabiem belli antequam pubescat validius celeritatis remediis oppressuri: Nec enim dubium fauore numinis summi præsentis, cuius perenni suffragio damnantur ingrati, ferrum impiè præparatum ad eorum interitum esse vertendum, qui non laceffiti, sed aucti beneficiis pluribus, ad insontium pericula surrexerunt.

Vt enim mea mens auguratur, iustitiæque rectis consiliis affutura promittit, spondeo quòd si vèrum fuerit cominus, ita pauore torpescent, vt nec oculorum vestrorum vibratæ lucis ardorem, nec barritus sonum perferant primum.

VALENTINIANI ORATIO.

ARGUMENTVM.

Valentinianus fuerat quidem omnium suffragiis in exercitu nominatus imperator. Sed quia erat paulò obscuriore loco ortus, & principio magnificentiam & splendorem quendam captabat, adhæsit hominum fastidiis vt iam illius pœniteret, & quum ad res gerendas accederet, vellètque à concione auspicari, primum murmur concionis, deinde liberior reclamatio oriretur, vt propè ad conuitium res veniret. Erat autem ille concionis reclamantis sensus vt alium creati placeret. Valentinianus minimè hoc metu percussus quum se confirmasset, & audientiam grauitate sibi fecisset, hanc habuit concionem, qua & illos motus sedaret, & auctoritatem ad reliquum tempus colligeret. Hic benevolentiam conciliat commemoratione beneficii & iudicii eorum quo nominatus fuerat imperator. Post, cur collegam nondum sibi asciscat, rationem affert. Sibi id curæ fore, & totius imperii administrationem, prætereaque res præclare cessuras pollicetur. Postremò vt suis commodis feruiant admonet.

EXulto prouinciarum fortissimi defensores, & præ me fero, semperque laturus sum, nec speranti nec adpetenti moderamina orbis Rom. mihi, vt potissimo omnium, vestras detulisse virtutes. Quod erat igitur in manu positum vestra, nondum electo imperii formatore, vtiliter & gloriose complectis, adscito in honorum verticem eo què ab ineunte adolescentia ad hanc vsque ætatis maturitatè splèdidè integrèque vixisse experiundo cognostis. Proinde pacatis auribus accipite quæso simplicioribus verbis quod conducere arbitror in commune. Adhiberi oportere in omnes casus socia potestate collegam, contemplatione poscente multiplici, nec ambigo nec repugno, curarum acervos & mutationes varias accidentium ipse quoque vt homo formidans. Sed studèdum est concordia viribus totis, per quam res quoque minimæ conualescunt. Quod impetrabitur, facilè, si patientia vestra cum æquitate consentiens, id mihi quod mearum est partium concesserit libens. Dabit enim (vt spero) fortuna cõsiliorum adiutrix bonorù, quantum efficere & consequi possum, diligenter scrutanti temperamentum. Vt enim sapientes definiunt, non modò in imperio, vbi pericula maxima sunt & creberrima, verùm etiam in priuatis quotidianisque rationibus, alienum ad amicitiam quum iudicauerit quisquam prudens, adiungere sibi debet, non quum adiunxerit, iudicare. Hæc cum lætiorum spe polliceor: vos firmitatem factorum retinentes & fidem, dum hyberna patitur quies, animorum reparate vigorem atque membrorum, ob nūcupationem augustam debita protinus accepturi.

PROCOPII ORATIO.

ARGUMENTVM.

Habuit hanc orationem Procopius in procinctu & in ipso penè conflictu. Nam is quum desciscendi à Valentiniano & Valente casaribus, esset autor, & magnam vim hominum in factionem suam pertraxisset, iurassentque illi in eius verba, & conductis copiis congressurus esset cū casariano Valentis exercitu, comprehendit quendam sibi notum, & cum hac oratione cohortatus est, cùmque eo commilitones eius, vt Valentinianum desererent, qui malis artibus in locum Constantii inuasisset.

EN (inquit) cana Romanorum exercituum fides, & regionibus firmis iuramenta cõstricta. Placet fortissimi viri pro ignotis tot suorum confurrexisse mucrones: vtque Pannonius degener, labefactans cuncta & proterens, imperio quod ne votis quidè concipere ausus est vnquam potiatur, ingemiscere nos vestris nostrisque vulneribus. quin potius sequimini culminis summi profapiam, non vt rapiat aliena, sed in integri maiestatis auitæ restitatur, arma iustissima commouentem.

VALENTINIANI ORATIO.

ARGUMENTVM.

Ætate iam affecta Valentinianus, & graui morbo afflictatus, laborabat vt Gratianus filius in ipsius locum succederet. Competitores erant non pauci. Ita ambibant vt incli-

nata res ad certos putaretur, vt vereretur imperator ne res à filio abiret. Quocirca paulum ex morbo grauiſſimo recreatus, in concionem quam indixerat, proceſſit. Ibi hanc orationem habuit, in qua filium exercitui commendat: nam in caſtris hæc gerebatur. Rogat, quod commodo eorum fiat, vt quam beneuolentiam ſibi tribuerint, eadem filium proſequantur, eique imperium tradant. Pollicetur ab eo vitam inculpatam, fidem, prudentiam, integritatem in omni adminiſtratione. Excusat: amen in præſentia annos iuueniles: ſed ita vt natales & indolem illius commendet, & firmioris ætatis magnam expectationem afferat.

AVetum erga me veſtri fauoris indicium, hunc loci principalis circumferens habitum, quo potior aliis iudicatus ſum multis & claris, cõſiliorum locis votorumque auſpiciis vobis, pietatis officiis adgrediar tempeſtuis, proſpera deo ſpondente: cuius ſempiternis auxiliis ſtabit Romana res inconcuſſa. Accipite igitur quaſo placidis mentibus viri fortiffimi deſiderium noſtrum, id reputantes quod hæc quaſi fieri caritatis ſanciunt iura, non tantum traſire volumus per conſcientiam veſtram, verum & probata firmari, vt congrua nobis & profutura. Gratianum hunc meum aduſtum, quæ diu verſatum inter liberos veſtros commune diligitis pignus, vndique muniendæ tranquillitatis publicæ cauſa, in auguſtum ſumere commilitium paro, ſi propitia cæleſtis numinis veſtræque maieltatis voluntas parentis amorem iuuerit præeuntem, non rigido cultu ab incunabulis iſtis vt nos educatum, nec tolerantia rerum coalitum aſperarum, nec capacem adhuc martii pulueris vt videtis: ſed familiæ ſuæ laudibus maiorumque factis præſtantibus concinentem, paucioribus inuidiæ metu, vt dicitur, protinus ſurrepturum. Vt enim mihi videri ſolet, mores eius & appetitus licet nondum maturos ſæpe penſanti ineunte adoleſcentiâ, quoniam humanitate & ſtudiis diſciplinæ ſolentium expolitus librabit ſuffragiis puris merita rectè ſecũſue factorum, faciet vt ſciant ſe boni intelligi, in pulchra facinora procurſabit ſignis militaribus & aquilis adhæſurus, ſolem niuésque & pruinas & ſitim perferet & vigilias, caſtris ſi neceſſitas adegerit, aliquotiens propugnabit, ſalutem pro periculorum locis obiectabit: & quod pietatis ſummum primumque munus eſt, remp. vt domum paternam diligere poterit & auitam.

EIVSDEM VALENT. ORATIO.

ARGVMENTVM.

Compos voti Valentiniãnus, quoniam filio imperium ab exercitu impetraſſet, re præſenti vtendum ratus, in eadem illa celebritate imperatoris inſignibus filium ornauit, & hæc orationem adiecit: qua hortatur eum à commemoratione ampliffimi beneficii quod ab exercitu accipiebat, ad virtutes imperatorias ſummo ſtudio perfequendas & colendas. Ab eo deinde orationem ad exercitum, conuertit, eique denuò filium commendat.

EN (*inquit*) habes mi Gratiane amiçtus, vt ſperauimus omnes, auguſtos, meo commilitonumque noſtrorum arbitrio delatos ominibus fauſtis. Accingere igitur pro rerum vrgentium pondere vt patris & patruſi collega, & aſſueſce impavidus penetrare cum agminibus peditum gelu peruios Hiſtrum & Rhenum, armatis tuis proximus ſtare, ſanguinem ſpiritumque conſideratè pro his impendere quos regis, nihil alienum putare quod ad Romani imperii pertinet latus. Hæc pro tempore præcepiffi ſufficiat. cætera monere non deſinam. Nunc reliqui vos eſtis rerum maximi deſenſores, quos rogo & obteſtor vt adreſcentem imperatorem fidei veſtræ commiſſum ſeruetis affectione fundata.

Conciones seu orationes ex Gre-
cistis horti excerpte.

ANNO 1617

